DE

STATU AEGYPTI

PROVINCIAE ROMANAE

PRIMO ET SECUNDO POST CHRISTUM NATUM SAECULIS.

SCRIPSIT

CAROLUS EDUARDUS VARGES

ILFELDENSIS

SEMINARII REGII PHILOLOGICI SODALIS.

Ἐπαρχία δὲ νῦν ἐστι (Αἴγυπτος), φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί.

STRABO.

Commentatio in certamine literario civium Academiae Georgiae Augustae ex sententia Amplissimi Philosophorum Ordinis die IV. Junii MDCCCXLI praemio Regio ornata.

GOTTINGAE

TYPIS ET IMPENSIS LIBRARIAE DIETERICHIANAE

MDCCCXLII.

VIRIS CLARISSIMIS

CAROLO FRID. CHRIST. HOECK

PHILOSOPHIAE DOCTORI BIBLIOTHECARIO ET PROFESSORI
ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE PUBLICO ORDINARIO
SOCIETATIS SCIENTIARUM GOTTINGENSIS SOCIO

ET

HENRICO LUDOLPHO AHRENS

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET PAEDAGOGII ILFELDENSIS SUBCONRECTORI

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OBTULIT

AUCTOR.

Amplissimus Philosophorum Ordo anno MDCCCXL hanc proposuerat quaestionem:

> Status Aegypti sub imperatoribus Romanis I et II post Chr. nat. saec. ita describatur, ut ante omnia forma hujus terrae provincialis explicetur. Res divinae et literariae excludantur.

Quam quaestionem num aggrederer, cunctabar paullisper, quoniam viribus meis diffidebam. Quum tamen eodem tempore acerrime a viris doctis disputari viderem de literarum Graecarum in Aegypto statu et maxime de Museo Alexandrino, magno incendebar studio, ut rei publicae qualis conditio Aegypto fuisset Romanorum aetate, cognoscerem. De commentatione mea Amplissimus Philosophorum Ordo hoc tulit judicium:

> Auctor insigni cura quum ex Graecis Latinisque scriptoribus, tum ex inscriptionibus antiquis collegit, quae ad rem faciebant, eaque cum recentiorum disquisitionibus comparavit. Nec solummodo ejus deligentia et industria, sed judicii quoque vis et acumen elucescunt. Argumentum apto ordine disposuit et critica ratione ita tractavit, ut imprimis formam provincialem Aegypti, de qua ante omnia quaesitum erat, egregie describeret et illustraret. Si quid enim hac in re desideres, vix auctori, sed fontium potius defectui et penuriae imputabis. Orationis genus non comtum quidem est et elegantia quadam conspicuum, sed planum ac, si nonnulla, quae festinanti calamo exciderunt, exceperis, sine offensione aequabiliter profluens, id quod rebus exponendis erat satis accommodatum. Quae quum ita sint, Ordo Philosophorum unanimi consensu hanc commentationem praemio Regio dignam judicavit.

Quo judicio Amplissimi Philosophorum Ordinis freti nunc scripta nostra foras damus bonisque votis prosequimur, quamquam nosmet ipsi hanc commentatio-

nem ab ea, quam animo conceperamus, perfectionis imagine longissime distare non sine dolore confitemur.

Fit interdum in populi alicujus historia enarranda, ut certa quaedam tempora suae claritatis fulgore reliqnis, maxime sequentibus, tenebras obducant: quas dissipandi officium religiosior quisque rerum inquisitor sibi injunctum habet. Quod si elaboravimus, ut etiam Romanorum aetate Aegypto non omnem splendorem prae pristinorum temporum gloria exstinctum fuisse propriamque suam dignitatem accessisse, non tam clare perspiciatur, quam augurari liceat; bene cum studiis nostris actum esse arbitramur.

Scribebam Gotting. pridie natalicia Christi MDCCCXLI.

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

Quarum rerum Aegyptiacarum statum describere suscepimus, eae populum Aegyptium nobis non iis temporibus repraesentant, quibus, quum forma reipublicae uteretur suo ingenio terraeque indoli adaptata, et suae vel cognatae stirpis regibus pareret, ad summum potestatis aeternaeque gloriae fastigium provectus erat, sed quibus externorum regum, qui vel procuratoribus terram administrandam tradiderant, vel ipsi regni sedem ibi habuerant, continuo ac saepe crudeli imperio per quinque jam saecula subditus, tertium sibi a peregrinis imperatoribus servitutis jugum imponi passus erat. Sub externorum autem principum regno tam longo fieri non poterat, quin peregrini mores Aegyptiis vel sponte acciperentur vel imperarentur, pristinaque eorum indoles sensim aliquanto pessumdaretur. Antiquissimis enim temporibus, quum, terra ipsorum omnia suppeditante, externa respicere non cogerentur, omneque cum aliis nationibus commercium tanquam contagium aversarentur, mentem suam intra Aegypti fines quasi coercentes in admirabilibus illis architectonicae et plasticae artis operibus exstruendis elaborandisque quo sibi sufficerent, quaerebant. Postea vero quum peregrini aditum sibi ad hanc terram armorum vi munissent, creberrimo cum iis commercio connubioque antiqua illa morum strenuitas atque rigor infringebatur et summa quaedam mobilitas una cum luxuria animos occupabat. In contrariam igitur partem sensim delabebatur Aegyptiorum populus. Tunc demum, peregrinis viam demonstrantibus, quam felicem ad mercaturam exercendam Aegyptus situm haberet, perspiciens, ipse commercium studiosissime exercere incipiebat, neque jam opera ingentia, quibus aeternam sibi apud posteros memoriam crearet post mortem, sed talia, quae vitae commoditati et luxui inservirent, et sibi et aliis parabat. Atque in hujus studii fastigio Aegyptii primo eo stabant saeculo, quo Romani illam terram imperio suo moderabantur.

Quum autem Romani novam hanc provinciam in potestatem suam acciperent, novus et ipsis rerum status esse incipiebat. Deperdita enim libera reipublicae forma, unus jam omnium principatum tenebat, quem ad tuendum firmandumque nova provincia non parvo erat subsidio. Nimirum Romani maximam partem ita degenerati, ut qui ipsos aleret, eum sequerentur honoribusque ornarent: Italiae vero et Siciliae opes ita exhaustae erant, ut solae caput imperii frumento sustentare nequirent. Quod quum Augustus clare perspexisset, prudenti consilio Ae-

gyptum ad imperium Romanum adjunxit, ut fertilissima haec provincia illarum terrarum vicem susciperet; sed sibi seposuit, ut ipse annonae copiam et per eam populi Romani vitam in manibus haberet. — Ceterum in constituenda hujus provinciae forma, quam sumus descripturi, evenit Romanis, ut, quod non ferocem et indoctum populum in ditionem suam redegerant, sed talem, qui exacta beneque ordinata reipublicae forma jam antea usus esset, paucissima commutanda et Romana reddenda essent.

Nos autem in describendis illis temporibus eo libentius sumus versati, quo magis recentissimis temporibus omnium oculi in ipsam hanc terram erant intenti, ubi vir sibi suisque viribus confidens universam Europam concutere, dissociare, ad arma convocare posse videbatur. Jucundum erat, hodiernorum temporum statum cum antiquorum comparare, quorum illa ab his sic distant, ut Turci a Romanis.

PARS PRIOR.

Caput I.

PAUCIS AMBITUS PROVINCIAE GEOGRAPHICUS ADUMBRATUR.

1. Antiquissimis temporibus nomine Aegypti eam regionem significabant, quae a Nilo inundata et habitabilis a Syene usque ad mare mediterraneum patebat, atque in orientali parte ab Arabicorum, in occidentali a Libycorum montium jugis erat inclusa [1]. Serioribus temporibus ambitum Aegypti dilatantes in una parte ea omnia, quae inter Sinum Arabicum et Nilum jacent, addebant; in altera fines ejus usque ad Oases et in ora maritima usque ad locum Catabathmon dictum proferebant [2]. Atque his quidem finibus terminata Aegyptus Ptolemaeorum aetate erat. Quod autem Ptolemaei fines illos transgressi, etiam Cyrenaicam terram et Cyprum insulam sibi subegerant regnoque suo Aegyptio adscripserant, Romani quum in eorum locum succederent, consultius habebant, tantam regni latitudinem non integram servare, sed Aegyptum ad proprios et antiquiores fines reducere unique praefecto subdere [3]. Hinc provincia Aegyptia his erat finibus inclusa:

In septentrione ipsa natura mari mediterraneo finem Aegypto posuit. Ora autem maritima, quae occidentem versus patet, non item terminum habebat naturaliter constitutum. Sed convenienter Aegyptus usque ad Catabathmon protendebat. In altera deinceps parte terra Cyrenaica esse incipiebat [4]. — Meridiem versus si progredimur, occidentales Aegypti fines duae illae Oases erant montesque, qui inter utramque et circa porriguntur, quique Nili vallem contra desertorum Libycorum arenam defendunt. — In meridionali parte omnia tempora consenserunt Aegyptum a Nubia dirimi Nili cataractis, quae ad Philas sunt. Quum autem Augusti principatu Petronius ab Aethiopibus lacessitus expeditionem in Nubiam susciperet, Aethiopes ubique fugaret, usque ad sedem reginae Candacis, Napata, penetraret eamque deleret, quum praeterea alteram urbem Premnim praesidio muniret [5], hac expeditione provinciae fines prolongatos esse, facile censueris. Nihilominus Tacitus Elephantinen et Syenen scribit imperii Romani olim — intelligit autem

1) Strabo p. 790. 789. 2) Strabo p. 791. 3) Strabo ibid. Ῥωμαῖοι — κρίναντες τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς αὐτοῖς ὅροις διεφύλαξαν. 4) idem p. 798 μεχρὶ δεῦρο γάρ ἐστιν ἡ Αἴγυπτος. 5) Strabo p. 820. 821.

Augusti et Tiberii aetatem — claustra fuisse [6]). Propter hanc rem et quod novam illam terram non ad Aegyptiacae administrationis normam in epistrategias et nomos dividebant, hoc mihi apparere videtur, expugnatam a Petronio Nubiae partem non talem habitam esse, ut fines imperii in ea prolatos cogitarent, sed ut ibi praesidia collocarentur ad veros provinciae fines defendendos obtinendosque. Quod autem Nubiam non pro vera imperii Romani parte habebant, propterea etiam Augustum puto Candaci reginae precanti tributa remisisse [7]). — Inde a Syene provincia inter brumalem ortum et meridiem usque ad mare rubrum patebat [8]) atque in extrema parte urbem Berenicen sitam habebat. Ut Syenae sic prope hanc urbem aliquod militum praesidium erat collocatum [9]). — Orientalem deinde provinciae finem maximam partem sinus Arabicus constituebat. Migraverat quidem Aelius Gallus hos fines cum exercitu, ut Arabiam expugnaret; neque tamen res prospere cessit [10]), neque si cessisset, verisimile est, futurum fuisse, ut capta Arabia et Aegyptus una eademque provinciae forma administrarentur. — In isthmo denique eo, qui Asiam cum Africa conjungit, provincia orientem versus usque ad collem Cassium patebat, ut e Strabone conspici potest, qui Phoenicen describens supra haec loca progredi desinit [11]).

2. His igitur terminis cincta Aegyptus unam provinciam efficiebat et ab uno praefecto curabatur. Nullo tamen administrationis respectu habito, sed earum terrarum, inter quas media jacet Aegyptus, complexum considerantes, geographi veteres Aegyptum ex duabus diversis terris constare scripserunt, quae Nilo flumine dirimerentur. Orientalem partem, quae cum Arabia vera cohaeret, Arabiam vocaverunt, et occidentalem, quae cum Libya conjuncta est, Libyam [1]). Quum autem tali modo Aegyptus ex una parte ad Asiam pertineret, factum est, ut totam provinciam inter orientales provincias recenserent [2]).

Omnem hanc terram in duas partes dividebant, in superiorem et inferiorem (εἰς τὴν ἀνω καὶ τὴν κάτω χώραν) [3]). Superior pars Thebaidem et Heptanomidem continebat, inferior contra tres alias partes, quarum una Delta media erat, reliquae, ad quodque ejus latus una, orientalis et occidentalis. — Hae singulae partes denuo ex aliquo nomorum numero constabant, qui variis temporibus variabat, quem Romani in universum augere studebant, ut administratio exactior fieret [4]). Unicus denique et nobilissimus fluvius, qui et terram ipsam et homines alit, Nilus, septem ostiis in mare profluebat, quorum ordinem eodem modo Diodorus [5]), Strabo [6]), Plinius [7]), Ptolemaeus [8]) exhibent.

---

6) Ann. 2, 61. cf. Zoëga N. Aeg. p. 330. Not. 7) Strabo p. 821. 8) Tacitus l. c. suo tempore imperium Romanum ad rubrum mare patescere scribens, Sinum Persicum intelligit. 9) Vide infra. 10) Strabo p. 780. 781. 11) p. 760. cf. p. 803.

1) idem p. 806. 2) Amm. Marcell. 14, 7. 21. cum Valesii nota. 3) vide quae attulit Drumann Inschrift v. Rosette p. 57. 4) cf. Tôchon d'Annecy Recherches historiques p. 49. 5) 1, 33. 6) 17 p. 788. 7) n. h. 5, 10. 8) IV. p. 21. Si quis plura cupit, adeat is doctum Baehrii excursum ad Herodot. 2, 17: De Nili ostiis. edit. I. p. 904 seqq.

Caput II.
PROVINCIAE EXPUGNATIO.

Dum ad Actium summa vi sed incerto eventu pugnatur, Cleopatra subito inopinatoque cum sexaginta navibus aufugiens Peloponnesum petebat. Quod quum sensisset Antonius, jam exercitus pro ipsius salute fortiter proeliantis oblitus nec sui compos reliquit et ipse pugnam, quae ne ad malum quidem exitum inclinabat, sed ambigua stabat spe, illamque sequutus est. Ambo deinde persequentibus Octaviani navibus vix subducti una usque ad Taenarum Peloponnesi promontorium navigant. Ubi quum dimisissent eos, qui amici ex fuga in hunc locum convenerant, nuntiumque Octavianum e proelio victorem evasisse attulerant; Cleopatra quidem in Aegyptum properat, verita ne nuntio de clade accepto et ipsa absente seditionem moverent, Antonius autem in Libyam tendit ad Pinarium Scarpum, qui exercitui praeerat in Aegypti custodiam ibi collecto [1]). Qui quum nec Antonium exciperet et adeo legatos ejus eosque milites, qui propenso in illum animo erant, interficeret, Antonius re infecta Alexandriam et ipse pervenit. Cleopatra interea ex primoribus regni multos, quos maxime propter Actiacam cladem sibi offensos habebat, sustulerat, atque ex eorum aliorumque divitiis, nemini ne sanctissimis quidem deorum adytis parcens, ingentem conflaverat pecuniae vim, qua novas sibi militum copias pararet [2]). — Octavianus contra media fere hieme — secundo enim die mensis Septembris ad Actium pugnatum erat [3]) — in Italiam accelebravit, ut res necessarias ibi componeret. Nullus jam in occidentali imperii parte hostis ei erat. Hinc triginta dies ibi commoratus in Graeciam et inde cum aliquo navium numero in Asiam tanta celeritate profectus est, ut Antonius Cleopatraque et solvisse eum et advenire nuntium una acciperent [4]). Quam celerrime igitur ad resistendum omnia provident, et exercitum parant tam terrestrem quam navalem omnibusque rebus instruunt, quasi in Aegypto essent terra marique sese defensuri, et quo cives sibi fideliores haberent, filios suos admodum pueros Cleopatra Caesarionem, Antonius Antyllum, quem e Flavia susceperat, inter ephebos referunt. Nihilominus una curant, ut si quid accideret, celeriter possent vel in Iberiam vel ad mare rubrum se conferre tutumque ibi refugium invenire. In Iberia enim sperabant divitiarum ope se facile seditionem Octaviano commotu-

---

1) Haec maxime secundum Dionem dedimus. Potest autem Dio, si verba accuratius perpendis, rem ita narrasse videri, quasi statim inde a Peloponneso diversis itineribus Cleopatra quidem in Aegyptum, Antonius autem in Libyam navigasset. Huic adversatur Plutarchus (in Anton. 69), qui demum a Paraetonio ait Cleopatram ab Antonio in Aegyptum dimissam esse. Attamen Dio, qui in universum res brevius exponit, finem potius itineris, quem uterque assequutus est, quam itinera ipsa respexit. Paraetonii autem appulit Antonius, non fortasse propterea, quod Scarpus, ad quem proficiscebatur, hoc oppidum praesidio tenebat — nam id non patiuntur, quae de Cornelio Gallo apud Dionem referuntur (51, 9) — sed eo consilio ductus, ut ipse Cleopatram usque ad Aegyptum comitaretur, tutamque regno redderet. Paraetonium enim ad Aegyptum pertinebat. cf. Flor. Epit. 4, 11. 2) Cass. Dio 51, 5. Plutarch. in Anton. 66. 67. 69. 3) Cass. Dio 51, 1. 4) idem 51, 2—3. 5.

ros esse [5]), ad Sinum Arabicum autem Cleopatra, vel Antonio Alexandriam nondum reverso, naves nonnullas multis opibus refertas e mari mediterraneo trahi jusserat [6]). Ter interea legatos de pace mittunt, sed Octavianus Antonio nihil respondet, Cleopatrae autem imperat, ut de regno abdicaret, una clam promittit, si Antonium interfecisset vel expulisset, et ipsam salvam fore et regnum integrum. Dum haec geruntur, Arabes, adhortante Quinto Didio, Syriae praefecto, eas naves, quae ad fugam celeriter instituendam in Sinu Arabico exstructae servabantur, comburunt [7]). Tum jam ineunte vere Octavianus ex duabus partibus una Aegyptum adortus est. Ex altera quidem parte per Libyam misit Cornelium Gallum, qui assumto Scarpi exercitu Paraetonium praesidiis male defensum subito cepit [8]). Quod quum audisset Antonius, qui invitantibus sociis id agebat, ut in Syriam profectus ibi cum Octaviano armis certaret, prius Paraetonium acceleravit. Sperabat enim fore, ut vel Scarpi milites veteris consuetudinis communisque militiae recordantes ad ipsum deficerent, vel nisi hoc succederet, urbem facili negotio iterum sibi expugnaret. Nolebat certe ipse ex Aegypto discedere, hostemque a tergo in media terra relinquere. Neque tamen astutia Galli in colloquium cum militibus pervenit. Quum enim ad murum accederet, vocemque emitteret, tubis concini jubebat Gallus, ut ex militibus nemo ejus verba perciperet. Tum jam vi agendum putavit. Attamen non tantum impetu facto repulsus est, verum etiam quae naves portum clam hostibus intrasse videbantur, introitu catenis subito clauso, sunt omnes vel combustae vel in profundum demersae [9]). Quae dum in occidentali Aegypti parte fiunt, Octavianus per Syriam profectus atque ab oriente irruens, alterum Aegypti cornu Pelusium occupat non vi, sed, ut fama erat, prodente Cleopatra, quae ut Caesarem et Antonium sic etiam Octavianum suo amore se capturam esse sperabat. A Pelusio deinde Alexandriam progreditur propeque hippodromum castra ponit; at ex altera parte a Paraetonio contra eum accurrens Antonius et paullo ante Alexandriam equitibus suis defessum Octaviani exercitum excipiens in fugam convertit et usque ad castra persequitur [10]). Qua victoria elatus terra marique pugnam tentare constituit. Sed utrumque male iterum cessit Cleopatrae culpa. Quum enim ante urbem exercitum in collibus disponeret, suas naves contra hostem se moventes animadvertens exspectavit, num quid perpetrarent [11]). At tantum aberat, ut certamen cum hoste inirent, ut, quum propius accessissent, remis salutarent, atque resalutantibus Octaviani navibus sese immiscerent. Id quod Cleopatrae jussu factum. Tum jam Antonius a Cleopatra se prodi sentiens, cum peditibus, in quibus aliqua salutis spes reliqua erat, hostem adortus est. Sed etiam eo proelio superatus et ad incitas reductus in urbem recessit [12]). — Interea Cleopatra iram Antonii extimescens in monumentum (εἰς τὸν τάφον) confugit, atque eum a se arceret et ad mortem voluntariam compelleret, se e vita decessisse nuntium ei afferendum curavit, quo audito Antonius, quod speraverat

5) Cass. Dio 51, 6. 6) Cass. Dio ibid. Plutarch. in Anton. 69. 7) Cass. Dio 51, 7. Plutr. ibid. 8) Cass. Dio 51, 9. Plut. in Ant. 74. cf. Florus in Epit. 4, 11. 9) Cass. Dio 51, 9. 10) idem 51, 10. Plut. in Anton. 74. 11) Plut. in Anton. 76. 12) Cass. Dio. 51, 10. Plut. ibid.

Cleopatra, in gladium incubuit. Quum tamen plagam non prorsus mortiferam sibi inflixisset, paullo post Cleopatram vivere accipiens, a praesentibus petiit, ut ipsum in monumentum ad illam deportarent. Atque tum demum in ejus sinu animam exspiravit [13]). Octavianus vero victor urbem incessit.

In urbe contra eum non amplius hostilia egit Cleopatra; quam quum vellet Romam secum abducere, ut captiva triumphantem sequeretur, custodiebat, ne manus sibi inferret. Cleopatra autem primum omnibus machinis, quas enarrare hic supersedemus, efficere studuit, ut amore vel certe misericordia captus Octavianus ipsi parceret regnumque servaret. Quibus omnibus quum resisteret — ita sui compos erat —, Cleopatra ad summam desperationem adducta, neque vivam se Aegypti reginam servitutis jugum effugere posse intelligens, epistolam ad Octavianum dedit, qua petiit ab eo, ut se eodem cum Antonio sepulcro condi permitteret, voluntariaque et ipsa periit morte, quam quomodo sibi consciverit non constat [14]) — Ex liberis autem Antonii Antyllus Fulviae filius ad monumentum confugerat, quod Cleopatra patri exstruxerat splendidissimum, sed proditus a paedagogo Theodoro ibi trucidatus est. Caesarionem, Caesaris filium, Cleopatra mater ut servaret, in Indiam multis cum opibus miserat. Sed suadente, qui comitabatur eum, Rhodone quodam, ut redire conaretur, in ipso itinere deprehensus et interfectus est. Ex reliquis Cleopatrae liberis Cleopatra matrimonio cum Juba conjuncta est, cui, ut sodali suo et commilitoni, Octavianus paternum regnum tradiderat. Iis etiam Alexandrum et Ptolemaeum condonavit [15]).

2. At interfectis aut alio modo remotis qui de familia Cleopatrae Antoniique in Aegypto relicti erant, Augustus unicus Aegypti dominus exstitit, eam tributariam fecit, et in provinciae formam redegit. Quodque et terram ipsam incolarum multitudine insignem esse atque propter frumenta Romae utilissimam fieri posse, et Alexandriam ambitu splendoreque longe inter alias urbes provinciales eminere conspiciebat, Aegyptiis Alexandrinisqoe ignovit, ut neminem perderet. Quum enim urbem intrasset, in gymnasio e suggesto populum magno timore perculsum Graece alloquutus, omnem urbi culpam remisit, tres causas afferens, primum propter deum Serapidem, deinde propter Alexandrum urbis conditorem, denique propter Arium philosophum, ipsi amicissimum [1]). Ingentes autem in thesauro regio invenit opes, quas Cleopatra undique, vel ex deorum fanis impie converrerat, non sibi, sed ut Romanorum avaritiam expleret. Aliquam summam insuper ab Alexandrinis exegit. Aliis enim, qui vel graviorem vel mitiorem meruerant mulctam, proprium tributum imposuit. Reliqui omnes rei familiaris duas partes solverunt. Atque ex his quidem divitiis et militibus omnibus, qui huic bello interfuerant, stipendia debita, et iis, qui cum Octaviano in Aegypto erant, ne urbem Alexandriam diriperent, 250

13) Plut. in Ant. 77. 14) Plut. Anton. 85. Cass. Dio. 51, 13. 14. cf. Vellej. Pater. 2, 83. 15) Plut. in Anton. 81. Cass. Dio 51, 15. —

1) Cass. Dio 51, 16. Plutr. in Ant. 80. Minus apte Plutarchus Serapidem deum omisit, et pro altera causa habet: *τῆς πόλεως θαυμάζων τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος.* De Ario philosopho, qui tunc Alexandriae degebat, postea Augustum cum filio Romam sequutus est, cf. Klippel de Mus. Alexandrin. p. 191. 196.

drachmae cuique persolvebantur. Totum, ait Dio, Romanorum imperium locupletabatur, omnia fana ornabantur [2]).

3. Est autem Alexandria a Romanis in potestatem recepta ipsis kalendis sextilibus (Augusto IV. et M. Crasso consull., ann. urb. cond. 724. sive Chr. n. 30) [1]). Cujus urbis expugnationem quanti aestimaverint Romani quantoque honori Augusto duxerint, ex duobus maxime perspici potest; primum quod paulo post senatus consulto sancitum est, ut Sextilis mensis, quo capta esset Alexandria, in posterum Augustus appellaretur [2]); deinde quod altero consulto inter alia eum ipsum diem, quo Augustus victor urbem ingressus esset, festum ac solennem haberi et inde ab eo annorum computationem fieri jubebant [3]). Quod posterius quomodo observaverint Alexandrini, alio loco videbimus.

Denique Augustus, ut victoriae in Aegypto reportatae praesens omnibus ac perpetua esset memoria, eum locum, ubi cum Antonio conflixerat, Nicopolis nomine insignivit, et quemadmodum Nicopoli urbe ad Actium eodem fere tempore et in eundem finem condita [4]), sic etiam ibi ludos quinquennales celebrari jussit [5]). Quod quum oppidum antea ignobile et exiguum fuisset, tunc ab Augusto eximiis honoribus ornatum celerrime efflorescebat et ad urbis amplitudinem adaugebatur, ut suburbium Alexandriae esset splendidissimum. Jacebat enim Nicopolis in maris litore, ab Alexandria vix XXX stad. orientem versus distans [6]).

---

2) Dio 51, 17. cf. Oros. 6, 19 et Zoëga Num. Aeg. p. 4. Not.

1) Cass. Dio 51, 4. Oros. l. c. — Kalendae sextiles constant. cf. Ideler Handbuch der mathematisch. und technischen Chronolog. I. p. 153. Champollion-Figeac contra annum Aegypti inter provincias Romanas acceptae 725 p. urb. c. (29 ant. Chr.) supputat: Annales des Lagides (à Paris 1819.) I. p. 178—198. II. p. 376 sqq. 2) Apud Macrob. Satur. 1, 12. 3) Cass. Dio. 51, 19: τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι. 4) De Nicopoli Epirotica vide Sueton. in Octav. c. 18. Cass. Dionem 51, 1. et quae ibi Reimarus congessit. 5) Cass. Dio 51, 18. Qui autem et quot ludi fuerint vel cui deo consecrati, non constat. Actiaca quidem Nicopoli et musica certamina celebrabantur et gymnica et equestria. Aegypti Nicopolis praeter amphitheatrum stadium habebat, (Strabo p. 795), unde recte ad gymnica concludas. Hippodromum hac in urbe nullum commemorat Strabo, sed fortasse is, qui Nicopolin inter et Alexandriam situs erat (vide Strab. l. c.), ad illos ludos pertinebat. 6) Strabo p. 795. cf. Joseph. de bell. Jud. 4, 11, apud quem viginti tantum stad. ab Alexandria abest. cf. Mannert. Geogr. antq. X. 1. p. 625. Klippel Mus. Alex. p. 40. Post Josephum nemo scriptorum — si Dionem excipis, qui obiter tantum et Augusti tempora respiciens de urbe condita narrat — Nicopolis mentionem injecit. Unde facile colligas, urbem non eandem, quam Augusti aetate habuit, nobilitatem apud posteros retinuisse. Zoëga quidem (Numi Aeg. p. 187. Nro. 209.) et qui eum sequutus est Eckhel (doctrina num. veter. Volum. IV. p. 111) nummum afferunt, Antonini tempore percussum, in quo Hercules nudus, stans, repraesentatur dextra gryphum sustinens, sinistra gerens clavam et exuvias, cum epigrapha ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΗΣ. Hinc Zoëga Victorem Herculem forte ad urbis nomen alludere scribit, gryphum ad ludos Actio Apollini sacros, quos ibi constituisset urbis conditor Augustus. Contra Tôchon d'Annecy (Recherches p. 36 sqq.), qui nummum accuratius examinavit, et epigraphae consilio corruptae vestigia invenit, recte pro suppositicio habere et ad nomum Heracleopolitam referre videtur. Attamen etiam gryphum a falsario adjectum esse, non item ei credendum. Quum enim inter Heracleopolitae numos inveniantur duo (apud Mionnet. supplem. IX. p. 158. Nro. 36. p. 159. Nro. 38.), qui Herculem eodem modo

Caput III.

PRAEFECTORUM RECENSUS 1).

SUB AUGUSTO.

1. Primus omnium praefectorum erat Cornelius Gallus 2), quem callide cui hanc provinciam committeret, elegerat Augustus. Primum enim quum Cornelius humili loco natus gratia Augusti esset ad tantos honores promotus, jure sperabat Augustus, hunc sibi addictissimum fore. Deinde quum Aegyptus expugnaretur, Cornelius in Paraetonio capiendo et obtinendo prae aliis fortem sese praestiterat et eximium Augusto auxilium tulerat 3), ut profecto nemo, qui hanc provinciam administraret, dignior videretur. Accedebat, quod Aegyptus imperio Romano nondum assueta facile hostilia multa in initio agere poterat, rectore igitur egebat rei militaris perito, quam laudem affatim omnes in Cornelium cumulabant. — Et revera evenit, ut Heroopolis deficeret et in Thebaide seditio propter vectigalia moveretur. At Cornelius et illam urbem brevi cepit et hunc tumultum oppressit 4). Neque tamen auctoritatem suam gloriamque modeste ferre poterat et dictis factisque in Augustum superbire incipiebat. Adeo statuas suas ubique in Aegypto ponendas et res gestas in pyramidibus inscribendas curabat 5). Quibus de rebus et quod inter pocula non satis linguae videtur pepercisse 6), accusatus est a viro ipsi aliquando amico Valerio Largo; atque Caesar ei domo et provinciis suis interdixit 7). Quo facto jam magna accusatorum multitudo in eum ingruit, quippe qui, ut homo novus, in multorum invidiam incurrisset, resque eo deducta est, ut Cornelius privatus bonis suis, quae Augusto addicta sunt, in exilium mitteretur. Sed praevertebat exilium morte voluntaria 8). Aegypto quatuor fere annos praefuit 9) 30 — 26. ant. Chr. n.

---

exhibent, nisi quod ex Mionnetii sententia in uno pro grypho Cerberum dextra sustinet, in altero sustinere videtur, quum praeterea unus ejusdem nomi exstet, in quo solus gryphus conspicitur lyram tenens (Mionnet. VI. p. 527. Nro. 49), verisimile fit, non tantum in eo, de quo nos agimus, numo genuinum gryphum esse, verum etiam in duobus illis pro Cerbero conspici debere.

1) Dolui quod in usum convertere mihi non licebat: Labus Di un' Epigrafe Latina scoperta in Egitto dal viaggiatore G. B. Belzoni; e in occasione di essa, dei prefetti di quella provincia, da Ottaviano Augusto a Caracalla. Milano 1826. — Quam commentationem si legissem, fortasse novum hunc praefectorum recensum supervacaneum judicassem, ne quae alias doctius exposita et comprobata sunt, inutili scribendi cupiditate repetere viderer, aut certe non tantam in nominibus rebusque praefectorum conquirendis operam perdidissem. Nunc satis habere cogor cum meis comparare ea, quae ex illo libro retulerunt Letronne in: Journal des Savans. 1826. p. 684 — 689. et F. Osann: in Allgemeine Litteratur-Zeitung. May 1828. Nro. 119 et 120. 2) Strabo p. 819. Cass. Dio 51, 17. 3) Dio 51, 9. 4) Strabo p. 819. Huc fortasse etiam Eusebius pertinet Chronic. ad Olymp. 189. 1. (p. 365. May): Thebarum suburbia in Aegypto funditus eversa sunt. 5) Cass. Dio 52, 23. 6) Ovid. Trist. 2, 445. cf. Amm. Marcell. 17, 4. 7) Suet. Octav. 60. Cass. Dio l. c. 8) Cass. Dio 53, 23. cf. ad haec omnia Cornelius Gallus, oder römische Scenen aus der Zeit des Augustus v. Aug. Becker. I. p. 49 sqq. 9) cf. Heyne Vita Virgilii ad annum 724 et 728 et ad Eclog. VI, 64. X prooem. Aen. 8, 675. Kuinoel vita Propert. I. praef. XLIV.

In ejus locum successit CAJUS PETRONIUS, vir strenuus et fortis; in quem quum aliquando seditiosum vulgus Alexandrinum lapides conjiceret, parva cum militum caterva, quae ipsum comitabatur, ingenti multitudini restitit, paucisque trucidatis ceteros dissipavit [10]. Maxime memorabilis est ejus expeditio, quam contra Aethiopes felici successu suscepit; quam pluribus narratam invenies apud Strabonem [11]. Ut autem in bellis gerendis fortis erat, sic etiam pacem eximie curabat; efficiebat enim, ut, si Nilus ad duodecim cubitos assurgeret, justa jam fieret inundatio [12]. Excepit eum

AELIUS GALLUS, Strabonis amicus [13], qui anno 20. ant. Chr., quo Strabo Aegyptum peragravit, praefecturam gerebat [14]. Cum aliqua legionum Aegyptiacarum parte in Arabiam trajecit, ut hanc terram Romano imperio recluderet [15]. Tristem tamen et infelicem exitum haec expeditio habuit [16]. Subsequuti sunt eodem imperatore

CAJUS TURRANIUS, qui ex inscriptione innotuit [17].

---

10) Strabo p. 819. 11) p. 820. 821. Cass. Dio 54, 5. cf. Ritter Erdkunde I. p. 590 sqq. 601. 12) Strabo p. 788. vid. infra. 13) Strabo p. 118. 14) cf. Letronne Recherch. p. 163. 15) Strabo p. 819. 780. Cass. Dio 53, 29. 16) Strabo l. c. cf. Horat. Carm. 1, 12, 56. 1, 35, 31. Ex duobus his praefectis dubium esse potest, uter alteri antecesserit. Videamus tamen, quid e rerum ab utroque gestarum comparatione probabiliter statuatur. Quum Aelius Gallus (narrat Strabo p. 820.), aliquam militum copiam secum in Arabiam ex Aegypto abduxisset, Aethiopes, hanc provinciam militibus nudatam opinati, incursu in Thebaidem facto tres eas cohortes, quae custodiae causa in confiniis Aegypti et Aethiopiae erant collocatae, adorti sunt. Celerrime auxilium tulit Petronius, Aethiopesque in fugam conversos persequutus usque ad Napata, reginae Candacis sedem, penetravit. Qua urbe capta deletaque, Candace legatos de pace misit. Quos quum Petronius ad imperatorem relegasset, profecti legati Augustum nuper e Cantabris reversum et in Asiam trajecturum in Samo insula invenerunt. Jam ex his, quae breviter attulimus, primum apparet, Aelii Galli expeditionem in Arabiam susceptam antecessisse ei, quam Petronius ad Aethiopes repellendos fecit; deinde quum iter Augusti e Cantabris reducis et in Asiam profecturi in annum 21. ant. Ch. incidat (M. Lollio et Q. Lepido Conss. Dio 54, 6, 7.), utramque non tantum post annum 21, sed ne eo quidem anno, potius 22 ant. Ch. factam esse debere. Porro hoc quaero, num is, qui prius profectus est, Aelius Gallus tum, quum Aegypti praefectus esset, vicinam Arabiam invaserit. Attamen eum ad Arabiam expugnandam ab Augusto missum esse, Strabo p. 780. refert, sed tunc jam Aegypto praefectum fuisse, diserte scribit nemo. Sin autem acciperemus, eum tunc provinciam rexisse, efficeretur ut, quoniam Strabo, quod constat, anno 20 a. Ch. Aegyptum visens, illo hanc provinciam procurante familiariter usus est, ex Arabia reversus iterum provinciam administrandam suscepisset, Petronius contra nil nisi vicem ejus per sex fere menses absentis explevisset. Sed tum non video, quomodo Petronius, qui et ipse erat bello gerendo occupatus, per tam breve praefecturae tempus potuerit tot laudabilia efficere, quae Strabo narrat p. 788, quaeque aperte complurium annorum spatium innuunt. Accedit quod Strabo p. 819. tres primos Aegypti praefectos sic enumerat, ut Petronium ante Aelium Gallum nominet. Hinc mihi rem ita compono, ut, Petronio procuratore, Gallum ab Augusto cum copiis Aegyptiacis in Arabiam missum esse putem, sed inde reversum et Alexandriam delatum (cf. Strabon. l. l.) paullo post Petronii loco provinciam regendam accepisse. Ceterum conferas ad haec Letronni notam in: La Géographie de Strabon Tom. V. p. 434. et Will. Vincent The commerce and navigation of the Ancients in the Indian ocean. London 1807. Volum. II. p. 56. 17) cf. Letronne in Journal des Savans 1826. p. 686.

Publius Octavius circa Christum natum, qui nominatur in inscriptione apud Letronnium [18]), ceterum ignotus. Deinque incertae aetatis

Aquila quidam apud Josephum [19]) et

Mantus Maximus a Philone commemoratus [20]).

SUB TIBERIO.

2. Aemilius Rectus, provinciae infestus, ut qui plura, quam constituta erant, tributa exigeret et Romam mitteret; sed repudiavit ea Tiberius [1]).

Sejanus Strabo, Lucii Aelii Sejani pater, praefectus praetorio, deinde a Tiberio in Aegyptum missus, anno fere post Chr. 18 [2]).

Vitrasius Pollio [3]), qui eum eo, quem Plinius scribit sub Claudio procuratorem Caesaris in Aegypto fuisse — nisi erravit Plinius — idem esse non potest [4]), quum eo mortuo Iberus vel Severus in praefectura sequeretur [5]) sub Tiberio. Pollionem per sedecim annos Aegyptum obtinuisse scribit Seneca (Consol. ad Helviam c. 17, 4.), sed hunc annorum numerum falsum et tredecim seribendum esse notavit Letronnius (Journal des Savans 1826. p. 687.).

Severus [6]) de quo nihil constat nisi quod in ejus locum successit

Pub. Avilius Flaccus, (anno Christi 31.) qui sex annos, quinque sub Tiberio, unum sub Caligula Aegyptum procuravit [7]), contra quem Philo Judaeus librum scripsit. Initio rem egregie gerebat, ut summopere laudaretur a Philone [8]). Quum tamen mox crudelem sese praestaret maxime in Judaeos, Caligula eum Andrum transportari et paulo post ibi interfici jussit. Memoria ejus in publicis documentis deleta, bona confiscata sunt [9]).

SUB CALIGULA.

Unicus Sertorius Macro innotescit e Dione [10]), qui quamquam praefectus designatus erat, quum tamen ad mortem voluntariam Romae pelleretur sibi consciscendam, dubitari potest, num unquam Aegyptum viderit. cf. Letronne. Journal des Savans l. c.

SUB CLAUDIO.

3. Postumus, quem praefectum sub Claudio fuisse ex Edicto Tib. Alexandri scimus [1]), sed quo tempore fuerit, certius definiri non potest. Putamus tamen eum primis hujus imperatoris annis Aegyptum rexisse. Certe fuit ante Vestinum. Ad eum Claudius de immunitate nonnullorum Aegyptiorum scripsit [2]). Qui Marc.

18) Recherch. p. 157. cf. p. 163. 19) Ant. Jud. 19, 5, 2. in decreto Claudii imperat. 20) Advers. Flaccum p. 975.

1) Cass. Dio 57, 10. cf. Letronne Rech. p. 185. 2) Cass. Dio 57, 19. 3) Cass. Dio 58, 19. 4) Plin. n. h. 36, 7, 57. 5) Dio l. c. 6) Philo adv. Flaccum p. 965 B. 7) Philo adv. Flaccum p. 966. cf. Inscript. apud Letronn. Rech. p. 175. Niebuhr. Inscript. Nub. p. 13. 8) p. 965 B. C. 9) cf. Philonem. Rudorff Mus. Rh. II, 2. p. 174. 10) Dio 59, 10.

1) lin. 27. 2) Edict. Tib. l. c.

Claudius Postumus epistrategus in inscriptione [3]) sub Augusto (anno Christi primo) commemoratur, eundem jam Rudorffius observavit, fortasse postea praefecturam sub Claudio gessisse; certe temporum ratio non obstat, quoniam admodum juvenis epistrategus esse poterat [4]).

CNEJ. VIRGIL. CAPITO quem anno 49. p. Chr. sub Claudio Aegypto praefuisse ex ipsius Edicto, quod nobis servatum est, certum fit [5]).

MAXIMUS autem praefectus, qui in eodem edicto nominatur, quando vixerit, non liquet. Cum Vibio Maximo, qui sub Trajano in Aegypto erat, idem esse propter temporum rationem non potest [6]). Sed nihil impedit, quominus eundem habeamus cum Maximo, qui Augusti principatu Aegypto praeerat. Vide supra p. 11.

VESTINUS [7]). Claudius imperator Lucii cujusdam Vestini meminit in ea oratione, quam de civitate Gallica habuit. Ejusdem etiam Tacitus et Martialis mentionem injecerunt. Hinc jam Rudorffius demonstravit vix dubitare licere, quin idem aliquando Aegypti praefectus sit constitutus [8]). Labus eum Balbillum inter et Tuscum (sub Nerone) intrusit. Apud eundem Capitonem sequuntur MARCUS, METIUS MODESTUS et GALERIUS.

SUB NERONE.

BALBILLUS [9]) (TIBERIUS CLAUDIUS [10])), unum annum post, quam Nero rerum potitus est, ab eo Aegypto praefectus, anno igitur 56 p. Chr. Magna cum laude nominatur a Seneca [11]), atque ita eximiis curis administrabat provinciam, ut Busiritae in Neronis honorem inscriptionem exarandam curarent, quod Balbillum ipsis misisset. Egregia enim ejus administratione Aegyptum omnibus bonis redundare et Nili dona in annum augeri [12]). — Etiam Plinius Balbilli (nam ita scribendum puto) mentionem fecit [13]). Quem autem una ibi GALERIUM praefectum nominat, is incertae aetatis est. vide supra sub Claudio.

CAECINA TUSCUS usque ad annum 66 p. Chr., qui quum balneis in adventum Caesaris Alexandriae paratis usus esset, a Nerone in exilium missus est [14]).

SUB NERONE ET SEQUENTIBUS IMPERATORIBUS USQUE AD VESPASIANUM.

4. TIBERIUS JULIUS ALEXANDER, in locum Tusci suffectus, vir Judaicae stirpis, alabarchae Alexandri filius, relinquebat paternam religionem. Ob prudentiam tamen et calliditatem tantum apud Neronem valebat, ut imperator eum in equestrem ordinem reciperet, deinde Judaeae procuratorem, denique Aegypti praefectum constitueret [1]). Galbae principatu edictum promulgavit, quod nunc nobis reliquum est, eximium justitiae et prudentiae documentum [2]). Deinde quum tem-

---

3) Letronne Rech. p. 157. 4) Rudorff M. Rh. p. 175. 5) cf. Rudorff Ed. Capit. p. 11. 6) Rudorff l. c. p. 14. 7) Ed. Tib. Alex. lin. 28. 30. 8) Vide quae Rudorff. habet Mus. Rh. II, 2. p. 175. Not. 5. 9) Edict. Tib. Alex. lin. 28. 10) Ita nominatur in Decreto Busirit. (Letronne Rech. p. 391.) lin. 6. 7. 11) Tacit. Ann. 13, 22. Seneca Nat. Quaest. 4, 2, 12. 12) lin. 7 seqq. cf. Letronne Rech. p. 394. La Statue Vocale etc. p. 173. Rudorff. Mus. Rh. l. c. p. 176. 13) n. h. 19 prooem. 14) Sueton. Nero 35. Cass. Dio 63, 19.

1) Joseph. Ant. Jud. 20, 5. 18, 10, 16. 2) cf. Tacit. hist. 1, 11.

poribus servire calleret, primus Alexandriae legiones in Vespasiani verba adegit[3]. Hinc multis honoribus adeo statuis ab eo honoratus est[4].

SUB VESPASIANO.

Alexandrum excepit anno fere 71. p. Ch. TITUS JULIUS LUPUS[5], qui in ipsa praefectura obiit[6]. Hic non confundendus est cum eo, qui Trajano principe Aegyptum rexit[7]. Sequutus eum PAULINUS quidam, alioquin ignotus[8]. Quem Maximum sub Nerva affert Labus, eum putamus Augusti aetate vixisse. vide supra cf. etiam Letronne Journal des Savans l. c. p. 687.

SUB DOMITIANO.

CAJ. LAELIUS AFRICANUS, quem inscriptio colossi Memnonis nominat primo Domitiani anno (82 p. Chr.) facta[9]. Ad eum accedit apud Labus CAJ. SEPTIMIUS VEGETUS.

T. PETRONIUS SECUNDUS et is in inscriptione Memnonis commemoratus, quae in annum 87 vel quod verisimilius 95 p. Chr. cadit[10]. Apud Labus sequitur sub eodem imperatore METIUS RUFUS, et

SUB NERVA

LUCIUS BAEBIUS COMINIUS MINUCIANUS.

SUB TRAJANO

POMPEJUS PLANTA. Deinde

CAJUS VIBIUS MAXIMUS, qui anno 104 p. Chr. praefecturam gessit[11].

CAJUS MINICIUS ITALUS, quem anno 105 adscribit Labus.

PUBLIUS SULPICIUS SIMILIS, cujus nil nisi praenomen inscriptio servaverat quae in annum 109 p. Ch. incidit[12]. Reperta tamen inscriptio latina eodem anno exarata, quae Pub. Sulpicium Simium Aegypti praefectum nominat. Quum autem Simius non esset nomen latinum, Letronnius Simiam correxerat. Labus contra, qui in novis Digestis ab Angelo Majo editis aliquo loco sermonem esse animadverterat de literis, quas Trajanus ad Sulpicium Similem scripsit, nomen Similem in inscriptionibus restituendum esse docte disserit, suamque sententiam comprobavit Letronnio. cf Journal des Savans l. c. p. 689.

Versus finem Trajani Aegyptum rexit MARCUS RUTILIUS LUPUS, quem et inscriptio nuncupat anno 115 vel 116 facta[13] et cum ea congruens Eusebius[14]. Bellavit contra Judaeos, qui seditionem moverant.

Ei denique eodem imperatore Labus QUINTUM MARCIUM TURBONEM adjunxit.

---

3) Tacit. hist. 2, 74. 79. Suet. Vesp. 6. Joseph. bell. Jud. 4, 10, 6. 4) Latet sub voce Alabarchae apud Juvenal. 1, 129 sqq. cf. Rudorff p. 155 sqq. 5) Joseph. bell. Jud. 4, 10, 6. 5, 1. 6) Plin. n. h. 19, 1, 11. cf. Letronne La statue vocale p. 121. 7) Letronne Rech. p. 232. 8) Joseph. l. c. 9) Letronne La statue p. 131 10) idem p. 132. 11) idem La statue p. 134. Rech. p. 217. 12) Letronne Rech. p. 217. 13) id. ibid. p. 230. 14) Histor. eccles. 4, 2. p. 141. Letronne p. 231 sqq.

SUB HADRIANO.

5. EPAPHRODITUS apud Labus.

TITUS HATERIUS NEPOS, qui se ipse praefectum profitetur in Memnone anno 121 p. Chr. [1]).

Quinque annis post in eodem se nominat TITUS FLAVIUS TITIANUS [2]).

PETRONIUS MAMERTINUS (secundum Letronnium) praefectus anno 134 p. Ch., paullo post (140) praefectus praetorio [3]). Sine dubio idem est cum eo Mamertino, quem Nubiensis inscriptio nominat eodem imperatore [4]). Huic accedit

PETRONIUS BALBUS anno 134. apud Labus.

SUB ANTONINO PIO.

Tertio hujus imperatoris anno (140 p. Chr.) Aegyptum procuravit AVIDIUS HELIODORUS [5]), quem quum e Dione constet Hadriano ab epistolis fuisse [6]) et propter artem rhetoricam ad Aegypti praefecturam promotum [7]), eum jam ab Hadriano (anno saltem 137) in hanc provinciam missum esse, probabiliter concludit Letronnius [8]).

DINARCHUS, quem quum Aegyptii seditione facta interemissent, Antonius in provinciam profectus de morte ejus ultionem petiit [9]).

FELIX anno 150. et LUCIUS FUVUIS VICTORINUS, uterque apud Labus.

SUB MARCO AURELIO ET L. VERO.

MARCUS BASSEUS RUFUS. anno 161. (Labus).

Anno 166 p. Chr. alterum FLAVIUM TITIANUM (vid. sub Hadriano) invenimus in inscriptione apud Letronnium [10]).

FLAVIUS CALVISIUS, quem Dio commemorat [11]).

Accedit AVIDIUS MECIANUS (anno 175) et MARCUS PETRONIUS HONORATUS anno 180.

SUB COMMODO.

POLLIANUS FLAVIANUS (anno 161) in inscriptione, quae imperatoris nomen deletum habet [12]). Quum autem e Senatus consulto sanciretur, ut Commodi nomen in omnibus privatis publicisque documentis eraderetur, hanc inscriptionem in Commodum cadere jure contendit Letronnius [13]).

Post hunc Labus ponit praefectum aliquem nobis ignotum, deinde nominat PAPIRIUM DIONYSIUM

SUB SEPTIMIO SEVERO.

Praefectus ignotus, secundum Labus, deinde

M. ULPIUS PRIMIANUS praefectus fere 194 — 198, quem Memnon [14]) et in-

---

1) Letronne La statue vocale p. 134 sqq. 2) Letronne ibid. p. 147. 3) idem p. 184 sqq. Inde corrigendum apud eundem in Recherch. p. 252. 4) Niebuhr. Inscr. Nub. p. 24 sqq. 5) Inscript. apud Letr. Rech. p. 238. 6) 69, 3. 7) Dio 71, 22. 8) Rech. p. 249—253. 9) Malalas Chronic. p. 119. Letronne Rech. p. 255. 10) Rech. p. 242 sqq. 11) 71, 28. 12) apud Letronn. Rech. p. 473. 13) Rech. p. 473. 14) Letronne La statue vocale p. 197. Rech. p. 265.

scriptio nominat in Elephantinae nilometro reperta [15]. Eo praefecto Nilus altitudinem attigit XXIV cubitorum et IV palmarum.

TITUS MASSIUS LUPUS, quem Labus anno 198 adscribit. Sequutus est

METIUS LAETUS, praefectus anno 202 [16]. Postremo

ATTIANUS SUBATIANUS AQUILA, quo praefecto novae lapicidinae prope Philas inventae sunt [17], anno 204.

Jam si in hac praefectorum serie aut nullos aut paucissimos excidisse judicamus, quorum nomina historia nobis non servavit, non multum a vero aberrare nobis videmur. Tum 54—56 praefecti Aegyptum per 216 fere annos rexerunt, quibus inter illos pariter divisis, quaterni fere anni in quemque cadunt.

---

15) Rech. p. 264. 16) Euseb. hist. eccles. 6, 2. p. 258. 17) Inscript. apud Letr. p. 361. lin. 13. cf. Euseb. hist. ecl. 6, 3, 4.

PARS ALTERA.

Caput I.

DE INCOLIS EORUMQUE DIVERSIS CLASSIBUS.

1. Aegyptiorum gens foecundissima erat [1]). Hancque foecunditatem, de qua paene incredibilia narrantur, ad vim referebant Niloticae aquae, cujus in laude veteres cum recentioribus consentiunt [2]). Mulieres enim Nilum bibentes non tantum, si longae sterilitati obnoxiae fuerant, ad conceptum redibant [3]), verum etiam eae, quae conceperant, saepissime geminos, saepius trigeminos vel quadrigeminos, atque adeo — nisi Trogo, summo auctori, apud Plinium fidem denegamus [4]) — interdum septenos uno partu edebant. At in tanta mulierum foecunditate, quum nec ipsi Aegypto unde aleret tot homines, copiae deessent satis uberes, nil miramur, quod ingentem quandam pro terrae magnitudine incolarum multitudinem ibi habitasse invenimus. Quantus fuerit numerus per ea tempora, de quibus nos agimus, accuratius licet constituere. Atque Diodorus quidem Ptolemaeo Lagi regnante plus 30 millia vicorum et urbium refert numerata esse [5]), eundemque numerum usque ad sua tempora, h. e. sub finem regni Ptolemaeorum (Olym. 180 ipse in Aegypto erat [6])) remansisse. Et etiam Romanorum aetate refertam urbibus Aegyptum fuisse, testatur Plinius [7]). Totius autem populi multitudinem jam antiquitus scribit idem Diodorus [8]) circiter septuagies centena millia aestimatam neque suo tempore diminutam esse [9]). Nihilominus factum esse potest, ut quum Ptolemaeorum regnum in perniciem rueret, propter gravia bella, quae tunc incidebant, et civilia et externa numerus ille paullo infringeretur. Quum tamen Ae-

---

1) Plin. Panegyr. c. 31. 2) Seneca nat. quaest. 4, 2.: nec enim ulli flumini dulcior gustus. Ael. Arist. II. p. 362. (cf. p. 364) Jebb. Non facile putrescebat. Adeo, ut alii vinum, sic Aegyptii illam aquam in amphoras infundebant, atque in tres vel quatuor annos servatam vetustate commendabant. cf. Drumann Inschrift v. Rosette p. 101. 3) Seneca ibid. 3, 25. 4) nat. hist. 7, 3. Diod. 1, 50. L. 3. Dig. V. Tit. IV. cf. Zoëga. Numi Aegyptii p. 5. Not. 4. et Eckhel Doctr. num. vet. Vol. IV. p. 37. 5) 1, 31. quocum bene conciliari potest Theocrit. Idyll. 17, 82. 6) cf. 1, 43. 7) n. h. 5, 9. cf. Pomp. Mela 1, 9. 8) *περὶ ἑπτακοσίας μυριάδας.* 9) Nam *τριακοσίων* vocem, quam Stephanus in suis libris non repperit et cui totius loci tenor refragatur, putamus cum Wesselingio (ad h. l.) eliminandam esse. cf. ad haec Fr. Sam. de Schmidt Opuscula p. 311 sqq.

gyptus Romanorum potestati subjecta ab Augusto eximie curaretur, ac pace, commercio, artibus, celerrime efflorescerel, pristina illa hominum frequentia non tantum restituta, verum etiam aucta est. Testis nobis succurrit Josephus[9]). Apud eum enim Agrippa, Nerone principe — non liquet tamen, num Josephus Agrippam revera Neronis temporibus accommodata disserentem fecerit, an forte, quod sua aetate constabat ad illum transtulerit — Aegyptum ait exceptis Alexandrinis septuagies quinquies centenis millibus hominum habitatam esse[10]), idque conspici posse e tributo singulis capitibus imposito. Urbis autem Alexandriae incolae numerum trecentorum millium excedebant[11]). Quae si omnia computas et inter se comparas, incolarum multitudinem apparet primo Romanorum imperii saeculo proxime ad octogies centena millia accessisse, ac ne centum quidem annorum spatio circa octies centena millia auctam esse. Quoniam autem varietas numeri, quem explent terrae alicujus incolae, nobis velut mensurae loco est, qua florem terrae vel auctum vel diminutum metiamur, ex laeta illa Aegyptiorum multitudine, cujus nunc ne tertiam quidem partem in eadem terra numeraveris, res Aegypti illis temporibus prudenti consilio administratas et satis prosperas fuisse, jure concludere licet.

2. Hic hominum numerus ex diversissimis constabat partibus. Enimvero si quae terra tantam externorum regnorum vicissitudinem experitur tantoque, quantum sub Romanis fuisse infra docebimus[1]), cum peregrinis conjuncta est commercio, fieri non potest, quin magna quaedam variarum gentium ibi colluvies fiat ac commixtio. Romanorum aetate nos has discernimus incolarum classes:

a) Aegyptii, pars, ut verisimile, maxima. Qui quum ex indole sua pristinorum morum tenacissimi et veteribus institutis artibusque addictissimi essent[2]), magis rura curasse, greges pavisse, agriculturam exercuisse, eas, quas a majoribus acceperant, artes tractasse, quam novis studiis dediti emporia petivisse vel mercaturae causa itinera in remotas terras suscepisse videntur. Pristini illi ac severi ordines sensim vel evanuerant vel qui remanserant, nullam publicam auctoritatem habebant. In jura militum, quorum jam nullus ordo, atque etiam sacerdotum sensim successerant reges[3]). Sacerdotibus autem nimia quidem potentia adempta erat; sub Romanis certe nullam in rerum gubernationem auctoritatem exercebant, neque judiciis praesidebant, neque quidquam eorum, quae ad rem publicam pertinebant, nisi pauca et levia quaedam, quorum praecipue penes eos notitia erat, velut historiam concipiendam, juventutem educandam, mensuras inspiciendas curabant[4]). Astutia tamen pristina iis relicta erat[5]), et, quo minus potestatis legitimae habebant, eo magis speciem saltem pristinae auctoritatis retinere studebant. Propterea non tantum ludibrio esse incipiebant, verum adeo omnem vitae honestatem abjiciebant, ut, quo victum sibi quaererent, turpibus artibus populum decipere non

---

9) bell. Jud. 2, 16, 4. 10) *πεντήκοντα πρὸς ταῖς ἑπτακοσίαις ἔχουσα μυριάδας.* 11) Diod. 17, 52.: *πλείους τῶν τριάκοντα μυριάδων.*

1) Cap. VIII. 2) cf. Peyron Papyri Graeci p. 5. 3) Drumann Inschr. v. Rosette p. 160 seqq. 4) cf. Hamilton Remarks on several parts of Turkey. Part I. Aegyptiaca. London 1809. p. 230 seqq. 5) v. maxime Rosettanam inscript. et qui eam doctissime explicavit Drumann p. 15

erubescerent [6]). Quum praeterea maxime Romanorum aetate omnium fere populorum mythi ac religiones in Aegyptum confluerent [7]), jam sub Hadriano quam religionem sequerentur, quos deos colerent, nesciebant [8]). Mox tamen Christiana religio victrix exstitit. Sed hanc rem tetigisse sat est. — Paulo magis ordines inferioris notae servati esse videntur. Ex vetusta enim consuetudine certae quaedam artes certis familiis locisque propriae erant, et a patre semper ad filium transibant. Sic Panopolis et antiquitus et etiam Strabonis tempore lintheariorum arte florebat [9]).

Ab Aegyptiis haud dubie non multum differebant, si qui Arabes vel Aethiopes maxime mercaturae causa in orientalibus vel meridionalibus Aegypti regionibus degebant [10]).

b) Peregrinae stirpis incolae. Peregrini, quibus inde ab eo tempore, quo Alexander Aegyptum expugnaverat, aditus erat ad hanc terram patefactus, commercio convocante, innumera multitudine in Aegyptum undique conveniebant. *α*) Maxima pars Graecorum erat, qui si non ad ipsam Graeciam originem referebant, tamen lingua, moribus, institutis Graecis utentes sedes suas in hac terra collocaverant. Pristinis quidem temporibus odiosi Aegyptiis fuerant [11]), sed postea, quum Ptolemaei Graecarum literarum amantes Aegypti imperium tenerent, sic diligebantur fovebanturque, ut reges quas novas condebant urbes solis Graecis traderent habitandas [12]). Graece reges edicta sua dabant [13]), Graece etiam coram judicibus agebatur [14]), Graeca denique lingua elegantium ac eruditorum erat. Romani quum in imperio succederent et quoad fieri poterat, arctissime sese ad Ptolemaeos in re publica administranda accommodarent, Graecae linguae usum retinebant. Praefectorum certe edicta publice proponenda Graecis literis consignata erant [15]). Id quod vel plebi eam linguam cognitam fuisse prodit. Hinc dubium esse non potest, quin etiam in judiciis sit adhibita. Tanta nimirum fuit ejus notitia, tantus usus, tanta denique auctoritas, ut adeo ultra Aegyptum ad Aethiopes his temporibus propagaretur [16]). Incolebant autem Graeci Romanorum aetate maxime tres urbes, de quarum civitate et magistratibus vere Graecis infra accuratius agemus [17]), Alexandriam, Ptolemaidem, Antinoopolin, quae postrema reliquis quidem recentior et ab Hadriano aedificata, tamen tota Graeca erat [18]). Reliqui per universam Aegyptum dispersi [19]) vix proprio jure vel aliena ab Aegyptiis conditione vivebant [20]). — *β*) Ad Graecos Judaei accedunt, quibus Alexander ejus urbis, quam in Aegypto condiderat deque suo nomine nuncupaverat, unam regionem habitandam permisit et jura concessit, quibus deinde cum Macedonibus civibus aequabantur [21]).

---

6) Drumann l. c. p. 162 seqq., ubi plura exempla congesta sunt. 7) ut ex nummis conspici potest. 8) Epist. Hadrian. apud Vopiscum in Saturn. c. 8. 9) Strabo p. 813. 10) idem p. 815. 11) Herod. 2, 41. 61. cf. Reynier l'Egypte sous les Romains p. 66. 12) De Ptolemaica urbe cf. Strabon. p. 813. 13) cf. Boeckh. Nechutes Urkunde p. 3. Letronne Recherches p. III. 14) Peyron Papyri Graeci p. 106. 15) cf. Capitonis et Tiberii Alexandri edicta. 16) cf. Niebuhr Inscript. Nubiens. p. 9. 17) Cap. III. 18) Inscript. apud Letronn. Rech. p. 281. 19) Letronn l. l. p. 294. ibi: *καὶ οἱ ἐν τῷ Δέλτα τῆς Αἰγύπτου καὶ οἱ τὸν Θηβαϊκὸν νόμον οἰκοῦντες* (Ἕλληνες). 20) Letronne p. 295 sq. 21) Joseph. Ant. Jud. 12, 1, 1. cf. Reynier l'Egypte etc. p. 69 sq.

Postea adeo a Ptolemaeo Philometore impetravit Onias quidam, ut liceret ipsi dirutum aliquod in nomo Heliopolitano templum Aegyptium ad Hierosolymitani exemplum restaurare, et religionibus Judaicis consecrare [22]. Idque templum remansit iis usque ad Vespasiani tempora [23]. Ceterum jam inde probabile fit, quod infra certius asseverabimus, non Alexandriae tantum Judaeos habitasse, verum per totam Aegyptum disseminatos [24], hunc unum locum, quo undique convenirent, sanctum habuisse. Quum postea Caesar in Aegypto esset, victoriam de Aegyptiis reportavit egregie adjutus Judaeorum studio [25]. Cujus rei memor et universo Judaeorum populo benignum sese atque amicum praestitit [26], et Judaeis Alexandrinis, columna ahenea posita, civitatem Alexandrinam palam constituit [27]. Non quod antea Alexandriae cives non fuissent, sed jura ac beneficia, quibus utebantur, propria denuo sanciens vel si violata neglectaque fuerant, restituens vel etiam hic illic amplificans, in eo maxime gratum sese praebuit, quod hunc suum erga Judaeos favorem in publico monumento inscribendum ac proponendum curavit [28]. Pauca haec ex antecedentium temporum historia repetenda esse duximus, quo rectius ea, qua sub Romanorum in Aegypto imperio usi sunt, conditio describatur. In universum Judaei erant Romanis ubique acceptissimi ac summe fovebantur [29], propterea, opinor, quod eorum agilitas et prudentia in rebus suscipiendis, pertinacia atque astutia in perficiendis consiliis utilem se ac promptam Romanis praebebat. Hinc jam sub initio nostrae aerae quum per universum imperii Romani orbem dispersi essent [30], tum praecipua eorum pars in Aegypto degebat. Numero enim fere decies centena millia fuisse Philo refert [31]. Ingens sane multitudo, praesertim si reliquos incolas respicis, quorum septimam vel octavam partem implebant. Quod tamen numerus eorum ad tantam magnitudinem accrevit, inde apparet eam conditionem, qua fruebantur per haec tempora, admodum tolerabilem

22) Joseph. ant. Jud. 13, 3, 3. bell. Jud. 1, 1, 1. 7, 10, 2. Reynier l. l. p. 232 sqq. Drumann Inschr. v. Rosette p. 206. 23) Joseph. bell. Jud. 7, 10, 3. 24) Sic Memphide, ubi erat *τὸ καλούμενον Ἰουδαίων στρατόπεδον.* Joseph. Ant. Jud. 14, 8, 2. Reynier p. 71. 25) Joseph. bell. Jud. 1, 94. Ant. 14, 8, 1. 26) plurima apud Joseph. ant. Jud. 14, 10. 27) Ibidem 14, 10, 1. 28) Hoc aperte inest in Josephi verbis l. l. *οὐ μὴν ἀλλὰ Καῖσαρ Ἰούλιος τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίοις ποιήσας χαλκῆν στήλην ἐδήλωσεν, ὅτι Ἀλεξανδρέων πολῖταί εἰσιν.* Repugnat his Reynieri sententia (p. 235), Caesarem Alexandrinorum Judaeorum privilegia ad omnes in Aegypto Judaeos transtulisse, qui ipsi praesto fuissent, ita ut sedes suas in hanc urbem transferre possent. At dicit Joseph. *τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίοις.* Potius aut reliqui Alexandriae incolae de pleno civitatis jure cum Judaeis ibi habitantibus contenderant, atque eripere studuerant — idque verisimilius — aut non omnes Judaei, qui in hac urbe versabantur, civitatis participes erant, ita ut tunc omnibus eam communicaret Caesar. 29) Joseph. Ant. Jud. 19, 5, 3. 30) Strabo apud Joseph. — 31) Adv. Flaccum p. 971: *ἐπιστάμενος Φλάκκος — ὅτι οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν οἱ τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες.* Hunc numerum, quem etiam nos maximum, quoad veritas patiebatur, a Philone constitutum esse concedimus, cur tamen Reynier (p. 240) ad dimidium reciderit, profecto nullam causam invenimus, nisi ut suam ipsius, quam sibi persuasit, sententiam perversissimam adjuvaret, Judaeorum in Aegypto conditionem sub Romanis omni modo pessimam fuisse et crebris eorum seditionibus, quarum verae causae in ipsius gentis natura ac indole latent, a Romanis opprimentibus occasionem suppeditatam esse.

atque optimam esse debuisse. Nimirum multae mercandi cupiditati viae patefactae, multi industriae quaestusque studio fontes aperti erant. Alii igitur Judaei artes exercebant, alii commercia, alii nautae erant, alii adeo agricolae [32]. Non a dominii jure excludebantur, a nullo denique vitae humanae officio arcebantur. Etiam ea, quae Alexandrini Judaei sibi propria habebant jura et ab Augusto conservata sunt et, paucis Caligulae annis exceptis, deinceps integra manserunt [33]. Omnibus licebat in patriis suis moribus institutisque perseverare [34], ut prorsus novam et quasi alteram Judaei patriam in Aegypto nacti esse viderentur. Ut in Palaestina, sic in hac terra usque ad Vespasiani saltem tempora unum templum habebant, quod reliquis quasi praesidebat, ad quod ex tota Aegypto conveniebant [35]. Nam non intra Alexandriae fines coercitos Judaeos esse, sed per universam terram frequenter habitasse, et eorum multitudo flagitat, ut statuamus, et disertissime Philo testatur. (*οἱ τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες*). Sui illi templo sacerdotes, sui Levitae [36]. Ad quos sustentandos templo non tantum aliqua vicinorum agrorum particula concessa erat, verum etiam quum Judaei singuli quoque anno ex omnibus imperii Romani partibus didrachmum Hierosolymam mitterent [37], earum, quae ex Aegypto redibant, summam probabile est retentam et Oniani templi sacerdotibus traditam esse [38]. Sed quamquam iis in Aegypto omnia felicia contingebant, tamen saepius vel sponte, vel ab Aegyptiis male tractati et lacessiti seditionem movebant. Quum enim, ubicunque vivebant, sacrorum institutorum tenacissimi essent atque in cerimoniis observandis religiosissimi, quum aliarum gentium religiones tanquam impuras contemnerent earumque quotidianae vitae consuetudini aliquantum officerent [39], fieri non poterat quin in summam plebis invidiam ubique incurrerent. Accedebat in Aegypto, quod ut peregrini eximiis beneficiis fruentes et numero et haud dubie etiam divitiis pollebant. Hinc nil mirum, quod reliqui summo in eos odio flagrabant, atque, nisi praefectus eos contra injurias plebis maxime Alexandrinae tuebatur, ejus avaritiam ac crudelitatem effugere non poterant, ut sub Flacco evenisse traditur [40]. De ethnarcha eorum magistratu vide infra. — *γ*) Tertii denique generis peregrini, si licet ita terrae dominos ipsos nuncupare, Romani erant. Augustus quidem senatoribus et equitibus illustribus interdixerat, ne Aegyptum adirent, nisi cui ipse permitteret. Ob id tamen Romanorum, qui in Aegyptum veniebant, non ita parvus constituendus est numerus. Nam praeterquam quod Praefectum nonnulli sequebantur Romani, quod tres militum legiones ibi commorabantur, et quod aegri multi, maxime phthisici, quibus longinquiorem navigationem commendabant medici veteres, sanitatis restituendae causa Aegyptum petebant [41], alios non paucos et commercium, quo Aegyptus cum Italia erat conjuncta, celeberrimum, et ipsius

---

32) Philo adv. Flaccum p. 973. De legat p. 1010. Reynier p. 240. 33) cf. Claudii epistolam Aegypti praefecto missam apud Joseph. Ant. Jud. 19, 5, 2. 34) ibid. 35) cf. Joseph. Ant. Jud. 13, 3, 1. 36) ibid. 13, 3, 3. 37) ibid. 16, 4. 6. 38) cf. Reynier p. 233. 259. 39) Claud. imperat. epist. apud Joseph. Ant. Jud. 19, 5, 3. ubi adhortatur Judaeos: *μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουδενίζειν*. 40) Philo adv. Flacc. 41) Plin. n. h. 31, 6. 63. cf. 24, 6, 28. Celsus 3, 22 cf. Ameilhon Histoire du commerce des Aegyptiens p. 203. Not.

terrae miracula eo convocabant. Hamilton mentionem facit legis alicujus ab Augusto latae, ne quis Romanus agros proprios in Aegypto possideret [42]. Unde hoc habeat, neque ipse indicavit neque ego reperire potui. Equidem quam maxime huic legi diffido.

c) Servi. De his pauca tantum relicta inveni. Eos omnino abfuisse, mos temporis nos vetat statuere, sed eorum multitudinem tantam fuisse, quanta in Italia, Sicilia, aliis terris agriculturam exercentibus, nec hoc probabile. Alexandriae enim aliisque in urbibus vix iis carere poterant [43]. At deerant Aegypto extensa ista latifundia uni domino addicta, ad quae colenda innumera servorum multitudine opus erat. Sua agrorum quadrata quisque Aegyptiorum vel ipse vel cum parva mercenariorum, quos operarios Romani vocitabant, manu colebat [44].

3. Diversissimae autem hae incolarum classes tali ratione inter se habebantur, ut aliae intactae et integrae juxta ac positae essent, aliae propius inter se accederent et miscerentur. Judaei enim patriis institutis inhaerescentes ac immorientes suam indolem omnium maxime servabant; nec connubia inibant nisi cum suis, nec vivendi aliorum rationem adoptabant, nullo omnino cum aliis nexu tenebantur nisi commercio. Quibus omnibus sibi reliquorum odium conflabant. Graeci contra et Aegyptii inter se amiciores erant. Quum enim Ptolemaei per tria fere saecula Aegypti imperium tenentes nihil magis studerent efficere, quam ut Aegyptii cum Graecis in unum populum coalescerent [1]), quum Graecae literae per totam Aegyptum colerentur acciperenturque, praeterea pristini illi hominum ordines essent soluti, fieri non poterat, quin commixtio inciperet fieri peregrini imperantis populi et parentium indigenarum. Quam commixtionem probabile est prius in urbibus et ita factam esse, ut connubium intercederet inter Graecos et Aegyptiorum primores ditioresque. Infimae enim plebis homines, maxime qui ruri vivebant, pristinos mores, et paternam linguam indolemque diutissime ut constat reservabant. Quae si ita fuisse statuimus, tum demum patet, cur inscriptiones mixta saepe et Graeca et Aegyptiaca exhibeant nomina, quorum Graeca quia plurima sunt, ad solos merosque Graecos pertinuisse, non verisimile [2]). Nimirum flagitabat natura rerum, ut Aegyptii sensim magis Graeci fierent, quam Graeci Aegyptii. Nisi vero Graeci et Aegyptii sensim propius inter se accessissent, et ab utrisque separati vixissent Judaei, non intelligeretur, quo jure Philo duo incolarum genera sibi opposita et Alexandriam et totam Aegyptum habitare scribere potuerit. Adv. Flacc. p. 971: ἐπιστάμενος (Φλάκκος), ὅτι καὶ ἡ πόλις οἰκήτορας ἔχει διττούς, ἡμᾶς τε καὶ τούτους καὶ πᾶσα Αἴγυπτος.

At juvat tum reliquorum Aegypti incolarum tum horum mixti sanguinis hominum indoles ac natura qualia per haec tempora fuerit, accuratius cognoscere

---

42) Aegyptiaca p. 231. cf. tam. Reynier. p. 98. 43) Vid. Trebell. Poll. XXX Tyr. 22. Philo adv. Flacc. p. 1009. C. Auct. belli Alexandr. 2. 44) Varro de re rust. 1, 17. cf. Rudorff Mus. Rh. II, 2. p. 180, 11.

1) cf. Peyron Papyr. Gr. p. 6. 2) cf. Inscript. apud Letronn. Rech. p. 344, ubi inter triginta fere nomina quatuor tantum Aegyptiacae originis deprehenduntur Letr. p. 386. Nihilominus haec inscriptio sub Evergete II exarata est in insula Bacchi, quam praecipuam Graecorum sedem fuisse haudquaquam constat.

eaque, quae apud scriptores de iis sparsa leguntur, huc quantum licet conferre. Clarius enim, puto, patebit, cur Romani, qui provinciae formam ingenio semper gentis devictae adaptabant, propriam aliquam et ab aliis longe diversam Aegypto dederint formam.

Aegyptii homines plerumque subfusculi erant et atrati, corpora magis gracilia et arida, vultus maestiores habebant [3]. Animis autem summa quaedam mobilitas levitasque et ex altera parte invicta pertinacia insita erat. Hinc *ventosa natio* dicitur[4]. *Nulla tamen tormentorum via inveniri* poterat, *quae obdurato illius tractus latroni invito elicere* poterat, *ut nomen proprium* diceret[5]. Hinc *mollis luxuria*[6], immoderatae cupidines, effusae libidines; hinc nullum vitium inveniri potest, quin a scriptoribus iis contribuatur. *Furibundi* erant[7] et *ad singulos motus excandescentes*[8], *joctantes, injuriosi*[9], *insolentes*[10]. Genus hominum *controversum, litigandi semper laetissimum maximeque avidum multiplicatum reposcere* ab aliis[11], sed erubescebat *apud eos si quis non infitiando tributo plurimas in corpore vibices* ostenderet[12]. Delationibus aliorum maxime ditiorum apud eos nullus finis[13]. In rebus autem sacris, in diis putandis colendisque si quid inter se dissentiebant, tanto furore fanatico compellebantur, ut bella inter se gererent[14], homines trucidarent, dilacerarent, adeo ederent[15]. Maxime tamen reipublicae perniciosa erat *vana gens et novandis quam gerendis rebus aptior*[16]. Quum enim *praesentia semper tempora cum enormi libertate iis displicerent, novarum rerum usque ad cantilenas publicas cupientes*[17], *de levibus quibusque*, ut *ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem et olera sequestrata, calceamenta servilia*[18], *ad summa reipublicae pericula* perducebantur[19]. — Loquaces supra modum et salsi[20], maxime *ingeniosi* erant *in contumelios praefectorum*, ut etiam qui vitaverant *culpam*, non effugerent *infamiam*[21]. Adeo ipsos imperatores dicteriis suis petebant[22], ut Vespasianum *cybiosacten vocare* perseverabant, *cognomine unius e regibus suis turpissimarum sordium*[23], et si quid mali ipsis accidisset, *suis*

3) Amm. Marcell. 22, 16, 23. Vocibus subfusculus et atratus respondent Graecorum μελίχρως et μελάγχρως, quibus epithetis inter se distinguuntur homines in Papyro Nechutis l. 6—8. cf. illustrationem Boeckhii p. 20., qui discrimen coloris recte ad generis hominum illorum originem refert. Quia autem Aegyptiorum color antiquitus μελάγχρως fuit (Herod. 2, 104. Aristotel. Physiogn. p. 138 Franz.), μελίχρως tum demum natos esse putaverim, quum frequentius illis cum Europaeis connubium intercederet. cf. beati Muelleri compend. Archaeolog. p. 248. 4) Plin. Panegyr. 30. Vopisc. in Saturn. 7. 5) Amm. Marcell. l. c. cf. Aelian. v. hist. 7, 18. 6) Juvenal. 15, 45. 7) Vopisc. in Saturn. l. c. Trebell. Pollio XXX Tyr. 22. 8) Amm. Marcell. l. c. 9) Vopisc. l. c. 10) Plin. Paneg. l. c. 11) Amm. Marcell. 22, 6, 1. 12) idem 22, 16, 3. 13) Edict. Tib. Alexandri l. 38—45. 14) Cass. Dio 42, 34. Plutarch. de Iside et Osirid. II. p. 380. B. cf. Heinrich ad Juvenal. II. p. 503. 15) Juvenal. Satir. 15. 16) Curtius 4, 5. 17) Vopisc. in Saturn. 7. 18) Trebell. Poll. XXX Tyr. 22. cf. Philo adv. Flaccum p. 967 D. 19) Trebell. ibid. 20) Mart. 11, 13. cf. Herod. 4, 9, 4. 21) Seneca Consol. 17. 22) Suet. in Vespas. 19. 23) Suet. ibid.

solebant *rectoribus* assignare [24]). Ex altera parte sic in adulationem eorum erant effusi, ut deos crederent [25]). Erat *inbelle et inutile vulgus* [26]).

Haec autem animorum inconstantia ac mobilitas, quae Aegyptiis illis temporibus innata erat, haec morum depravatio, ad quam provocandam augendamque temperies coeli ejusque terrae, quam incolebant, benignitas, multum contribuit, haec denique libidinum licentia, quae veram libertatem affectat sed sine superbia sustinere, quae omnino justis carceribus et quasi frenis a strenuis moderatoribus ei impositis carere non potest, sub Ptolemaeis non tantum non coercita, verum etiam, quum et ipsi luxuriae sese traderent eaque interirent, aucta et progressa erat [27]). Quoniam autem ita moratam Romani Aegyptiorum gentem in potestatem accipiebant, eam in ditione cum ipsorum emolumento retinere aponte apparet difficillimum fuisse. Nam neque liberiorem provinciae formam constituere debebant, ne Aegyptiis in insolentiam proclivioribus superbiendi in victores occasionem et quasi potestatem concederent, neque nimium eos coercere ac reprimere, ne provincia, qua Roma carere jam non poterat, creberrimis seditionibus devastata floreque suo orbata justam solvendi facultatem amitteret, quo sibi plus quam illis detrimenti attulissent. Inter haec duo quasi extrema, quam egregie mediam viam ingressa sit atque institerit Romanorum prudentia et maxime calliditas Augusti, apparebit, puto, si provinciae formam descripserimus.

Caput II.

DE ADMINISTRATIONIS FORMA.

1. In provinciis constituendis et ordinandis Romani hanc in universum sequebantur rationem, ut non certam aliquam administrationis formam et quasi speciem sibi fingerent, quam ad omnes quaecunque erant, gentes subactas transferrent, sed ut suos quidem magistratus mitterent, instituta autem et leges cujusque nationis indoli atque ingenio adaptarent. Prout enim gens aliqua vel bellicosa feroxque armis demum devicta erat et plurima Romanis facessiverat negotia, vel amiciorem sese erga populum Romanum praestiterat, libenter ejus fidei se commiserat, deinde imperio subjunxerat, duriorem vel mitiorem ei imperabant provinciae formam. Inde hoc fiebat, ut imperii Romani provinciae diversissimam inter se administrationis formam haberent, in eo tamen similitudinem quandam referrent, quod proconsules vel propraetores Romani in omnibus erant rebus gerendis praepositi. Attamen etiam in iis rebus quibus reliquae provinciae inter se consentiebant, Aegyptus longissime ab omnibus recedebat. Praeterquam enim quod gentis

---

24) Am. Marcell. 28, 514. Herod. 4, 9: πεφύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες καὶ λέγειν εὐστόχως, ἀποῤῥιπτοῦντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι. 25) Philo adv. Flacc. p. 1015 C. Haec opinio jam antiquitus invaluerat. Diod. 1, 90. cf. Vales. ad Amm. Marcell. 28, 5, 14. 26) Juvenal. 15, 126. 27) Strabo p. 797. cf. Rudorff. Mus. Rh. II. 1. p. 82. Not. 8.

ejusque, quam incolebat, terrae natura propriam aliquam flagitabat administrationem, nemo proconsul, nemo propraetor iis certe temporibus, de quibus nobis scribendum et etiam postea, eo consilio, ut huic terrae praeesset, unquam Aegyptum adiit. Quae dissimilitudo originem inde traxit, quod terra illa non jam liberae reipublicae temporibus, sed quum Augustus omnium rerum principatum teneret, in provinciae formam redacta est. Ita enim instituebatur, ut non tam totius reipublicae, quam unius et per hunc demum reliquae civitatis utilitati inserviret. Ideo Augustus, qui Aegyptum gravem provinciam [1]) et ipsi ad Romam domandam regendamque necessariam esse perspectum habebat, eam non tantum reliquarum provinciarum numero non adscripsit, verum ne inter eas quidem rettulit, quae ex divisione omnium cum populo facta ipsi obtigerant. Sed *seposuit* Aegyptum et *domi retinuit* [2]), eamque administrandam Romanis equitibus permisit [3]).

Atque hujus provinciae formam ut recte describamus, duo non praetermittimus hic notanda, quorum unum ad ea, quae Augusto antecedebant, alterum ad ea, quae sequebantur tempora spectat. Morem fuisse Romanis constat, ut si quam provinciam ordinabant, institutorum legumque earum, quae ibi valebant, rationem haberent. Hinc etiam Augustus in Aegypto nec poterat nec debebat non multa ex iis retinere, quae instituta vel Ptolemaei in rempublicam introduxerant vel omnibus temporibus peculiaris terrae natura flagitaverat. Accidit vero, ut multa quae qualiaque sub Ptolemaeis fuerint, longe accuratiorem habeamus notitiam ex papyris maxime haustam [4]). Si quid igitur ex iis, quae qualia Ptolemaeorum aetate fuerint, notum est, qualia Romanorum, latet, neque sentimus Romanorum consiliis ac moribus refragari neque causae subsunt, quae id mutatum esse suadeant, nostro nos jure agere nobis videmur, si ad Romani in Aegypto imperii imaginem adumbrandam ac describendam nonnulla ex vetustioribus illis temporibus repetimus. Quum deinde eam quam Augustus Aegypto dedit, formam accuratius cognitam habeamus, et quaecunque ab Augusto originem duxerant, sanctam aliquam apud posteros nanciscerentur auctoritatem, ut nihil magis studerent, quam institutorum initium ad Augustum referre, quam ab illo imperatore provincialem formam Aegyptus accepit, eam intactam putamus ac immutatam per priora nostrae computationis saecula perdurasse, nisi ubi res novatas scriptores aperte indicant. Quod si de Aegyptiacis Augusti institutis loquimur, non tantum, quae in ejus, sed etiam quae in sequentium imperatorum tempora cadunt, describere videmur [5]). Quousque autem progredi nobis in animo est, mutationes formae perpaucae ac fere nullae factae sunt.

2. Aegyptiacae provinciae administratio in tres partes dividebatur et tria magistratuum genera habebat, unum qui securitatis, disciplinae, rei denique pu-

---

1) *τὸ μέγιστον τῶν κτημάτων* est apud Philonem adv. Flacc. p. 987. in fine. 2) Tacit. Ann. 2, 59. 3) idem hist. 1, 11. 4) Saepe miratus sum quod tam pauci ac fere nulli, quantum mihi innotuit, papyri hucusque reperti sunt Romanorum tempora referentes. 5) Cass. Dio 51, 17. de suo tempore: *καὶ σφῶν οὕτω τότε τεχθέντων τὰ μὲν ἄλλα καὶ νῦν ἰσχυρῶς φυλάσσονται.* — Sic apud Tacitum Ann. 2, 59. Tiberius Germanico objicit, quod contra instituta Augusti, non sponte principis, Alexandriam introiisset. vide infra.

blicae custodiam curabat, alterum rebus judiciariis, tertium reditibus praepositum [1]. Ut in quaque civitate bene ordinata sic in Aegypto hi magistratus ita erant instituti, ut gradus efficerent, et unus vir semper pluribus superior existeret. Quibus omnibus ut auctoritas accederet, ut quae volebant, perficerent, certus aliquis Romanorum militum numerus in Aegypto versabatur. In quem unum tamen horum omnium potentia et auctoritas quasi colligebatur, penes quem omnium rerum judicium erat, qui non nisi imperatoris ipsius vicem repraesentabat, erat is qui latino nomine Praefectus dicitur. His partibus in conspectu dispositis [2], ad singularum rerum ita accedimus descriptionem, ut a summo provinciae rectore ordiamur.

A. DE PRAEFECTO [1].

3. Aegypto in ditionem Romanam accepta Augustus nihil magis spectabat, quam qua ratione optime posset hanc provinciam ad suam ipsius dominationem obtinendam firmandamque adhibere. Hunc in finem duplex ei assequendum erat, primum, ut ejus, quae quotannis Romam transportabatur, frumenti copiae potestatem retineret [2], cumque, cui committeret Aegyptum, suo arbitrio eligeret et quam maxime ab sua ipsius voluntate dependentem faceret, deinde ne quis opportuna terrae gentisque [3]) occasione data contra imperatorem seditionem moveret, Italiam fame urgeret, atque, quum provincia illa in omnibus rebus sibi ipsa satisfaceret, levi quodam cum praesidio vel ingentibus exercitibus resisteret [4]. Quem ad metum removendum, qui nec vanus et a summo Julio Caesare traditus erat [5], primum praecepit Augustus, non tantum ne quis ex senatoribus equitibusque Romanis illustribus hanc provinciam ingrederetur, vel in ea commoraretur, nisi cui ipse permitteret [6], sed etiam ne quis ex Aegypti incolis provincialibus in senatum Romae reciperetur [7]. Praeterea gravissimae hujus provinciae administrationem non, ut moris erat, tali viro, qui curulibus magistratibus Romae esset functus, sed equitibus uni, qui ipsi addictissimus erat, permisit [8]. Quod inde fiebat, ut nemo proconsulis vel propraetoris nomine ornatus hanc provinciam obtineret, et nulli fasces consulares in Aegypto conspicerentur, Augusto simulationis occasionem praebebat, hanc suam institutionem, quae a pristinis moribus recedens primorum in eum odium facile commovebat, et ingenio moribusque Aegyptiorum necessarie

1) Quibus apud nos fere respondent Abtheilung der Polizei, der Justiz, der Finanzen. cf. Hamilton Aegypt. p. 229. 2) Compara in universum Strab. p. 797.

1) Letronne Recherches p. 263—267. Rudorff Mus. Rhen. 1828. II, 1. p. 71—74. 2) Tacit. Hist. 3, 8. Ann. 2, 59. cf. hist. 3, 48. ubi Vespasianus Italiae subsidia annonae intercludere suscipit. 3) Tacit. hist. 1, 11.: aditu difficilis, annonae fecunda. Ann. 2, 59.: claustra terrae et maris. 4) Tacit. Ann. l. l. 5) Sueton. Jul. Caes. 53.: veritus (Aegyptum) provinciam facere, ne quandoque violentiorum praesidem nacta novarum rerum materia esset. 6) Tacit. Ann. l. c. Cass. Dio 51, 17. Rudorff l. l. p. 73. Not. 10. Haec lex primum a Germanico migrata interdum serioribus negligebatur. cf. Zoëga N. Reg. p. 316 Not. Qui autem sint equites illustres, invenies apud Marquardt. hist. equitt. Rom. lib. II. p. 77 sqq. 7) Cass. Dio l. c. 8) Tacit. hist. l. c. Dio l. c. Arrian. Exped. Alex. 3, 5, 10. Contra Macrinus egit postea Cass. Dio 78, 35. Zoëga N. Reg. p. 258 Not. 2.

adaptatam et ex religione factam esse. Quum enim gens illa regio imperio assueta et magistratuum ignara esset[9]), eam sine rebellione ac tumultu praetendebat fasces praetextamque non laturam esse. Fortasse etiam vaticinium antiquum prae se ferebat, Aegyptum tum liberam fore, *quum in eam venissent Romani fasces et praetexta Romana*[10]). Vide tamen notam[11]).

4. *Nomen.* Novo huic magistratui provinciali novum nomen accedebat, latinum *Praefecti*, quod nomen cum Rudorffio putamus satis commode electum

---

9) Tacit. Inst. 1, 11. 10) Verba Treb. Pollionis XXX Tyr. 22. 11) Si accuratius inspicis, nos eas, quibus Augustus ad hunc novum magistratum creandum commotus est, causas inverso potius ordine ac Rudorffius dedimus, eam rationem sequuti, qua illas ipsius Augusto animo subnatas ab eoque ponderatas esse arbitramur. Quae enim verae suberant, eas secum retinebat, quod patefactas putabat invidiam sibi paraturas esse, quaerebatque alias, quibus veras celaret. Nam cur revera, si quis curuli magistratu defunctus cum praetexta fascibusque Aegyptum intrasset, ea opinione, quam de praefectis habebant Ptolemaeorum successoribus eorumque regnum continuantibus, deleta, Aegyptiorum animi infensi et ad seditionem faciendam excitati fuissent, profecto non video, quum potius futurum fuissa arbitrer, ut praetexta Aegyptiis, qui pompis atque externarum rerum splendore magnifico supra modum delectabantur, non displiceret, et fasces, insignia potentiae, timorem magis pudoremque iis injecissent quam ad tumultuandum excitassent, ut denique quam brevissimo tempore essent ad hoc nuvum magistratus genus assuefacti. Cur igitur consuetudinem relinqueret Augustus, haec causa quam simulabat, satis digna esse non poterat. — Vaticinium autem istud num ita, ut apud Pollionem legitur, jam eo tempore, quo Aegyptum Augustus ordinabat, datum ac notum fuerit, suspicio mihi movetur. Nam fasces consulares ingredi Alexandriam non licere, ejus rei Pollio scribit etiam Ciceronem meminisse, quum contra Gabinium loqueretur. Quae quum oratio, quam scripserat modo, non pronuntiaverat Cicero (Quinct. 9, 1), sit deperdita, oratoris ipsius verbis et sententiis destituti sumus. At constat eum egisse in Gabinium, quod, quamquam de Ptolemaeo factum erat senatusconsultum, cum multitudine eum reduci periculosum reipublicae videri, nihilominus cum multitudine eum reduxerat. (Cic. epist. ad Q. Fr. 2. 2. Dio 39, 58 et 59.) Sic decreverat senatus propter libros Sibyllinos praecipientes, si quis Aegypti rex auxilium imploraret Romanorum, ei amicitiam quidem ne denegarent, ne tamen cum multitudine (πλήθει τινί) regnum restituerent (Cass. Dio 39, 15. cf. Cic. epist. ad fam. 1, 7. Lucan. Phars. 8, 824). De fascibus autem consularibus in his omnibus ne verbulum quidem, quumque Sibyllarum vaticinium longe distet a Pollionis, Ciceronem de hoc in Gabiniana sua egisse, omnino non verisimile. Errasse puto Pollionem, quum quae non eadem, sed similia erant, confunderet. (cf. Zoëga Num. Aeg. p. 316. Not.) Praeterea ex ipsius verbis apparet, hoc oraculum non ex Sibyllinis libris originem duxisse, non Romae datum, sed in ipsa Aegypto — apud Memphim in aurea columna — et Aegyptiis quidem literis scriptum esse. At literae Aegyptiae produnt sacerdotes, quorum astutia et impostura satis nota. (cf. Pollionem paulo ante.) Deinde sensus oraculi suadet, id tum demum dari potuisse, quum Aegyptus jam Romanorum potestati subjecta ejusque administratio ab Augusto viris consularibus interdicta esset. Nam fasces Romanos respiciunt et libera Romanis imperantibus Aegyptus certe alio sensu fieri non poterat, nisi desinaret externo alicui imperatori parere, et suum absolutum rectorem iterum nancisceretur. Id quod tum fore (et ita fieri facillime poterat) si nobiles potentesque Romani ac viri Consulares Aegyptum administrarent. Itaque Augusto hoc oraculum sine dubio non erat causae, cur equitibus Romanis Aegyptum crederet. At poterat Augusti mens in oraculum abire, quod in hunc finem serviebat, ut ejus institutum apud posteros retineretur et anxius servaretur.

esse [1]). Si quis enim alicui rei praeficitur, is ejus, a quo praefectus est, voluntatem superiorem agnoscit, neque suo semper arbitrio, sed ex praecepto agere debet. Haec ipsa autem conditio erat, qua Augustus volebat Aegypti praefectos sibi adjunctos esse. Deinde, ut Rudorffius observat, similitudinem quandam cum iis ejusdem nominis referebat viris, qui jam antiquis temporibus a populo vel a praetore in nonnullas Italiae urbes mittebantur, ut rebus publicis maxime judiciariis praeessent. Quia autem nomen hoc non tantum pro se mancum sensum habet, sed etiam cavendum erat, ne praefectus sic nude positus cum aliis multis, quibus et ipsis erat praefecti nomen inditum, confunderetur, in usum abiit, ut Aegypti nomen adjicerent [2]). — Inter Graeca nomina quae compluria sunt, eminet ἡγεμών; nullo alio verbo adjecto, quod putamus id nomen fuisse, quo honoris causa praefectum appellabant, quo in publicis documentis, ut inscriptiones docent, utebantur, quo denique ea conditio quae inter praefectum intercedebat et provinciam administrandam, significabatur. Saepius etiam κύριος additur [3]). Huic proxime accedit ἄρχων, simplicius dictum apud Dionem, ita tamen ut τῆς Αἰγύπτου addere semper soleat [4]). Latinorum praefectum accuratius referunt voces ἐπίτροπος apud Philonem [5]) et, quae prae aliis in usu est, ἔπαρχος, quibus supplementum τῆς Αἰγύπτου, τῆς χώρας raro non additur [6]). Semel vel bis adeo ὕπαρχος audit, quo nomine recte poterat appellari, respectu imperatoris habito, cui superius erat imperium [7]). — Haec autem nomina omnia in unum eundemque magistratum cadere, inde apparet, quod plura saepe ac diversa uni eidemque praefecto apud scriptores induuntur. Quod quoniam certis exemplis jam ab aliis demonstratum est [8]), nos haec non amplius moramur.

Dignitas. Ut nomine ab aliarum provinciarum procuratoribus differebat Aegypti praefectus, non item potestate, ut mox demonstrabimus; dignitate autem quod Rudorffius [9]) opinatur eum reliquis cessisse, quum nullam praetextam gestaret, nulli fasces ei praeferrentur, atque quasi secundum locum inter provinciarum administratores eum tenuisse, verum non est, sed speciem habet, quam quidem aequalium oculis praetendere studebat Augustus. Quum enim nulla sub imperatoribus provincia reipublicae tam utilis, tam necessaria esset, quam Aegyptos; huic qui praeerat, satis gravi et omnium gravissimo munere fungi videbatur. Accedit quod Augustus et post eum reliqui imperatores hanc provinciam iis tantummodo viris committebant, quos sibi adjunctissimos haberent. Ad Aegypti igitur praefecturam accedere nemo poterat, nisi qui summa apud imperatores gratia pollebat. Quibus qui gratiosi erant, quum ab omnibus magni haberentur, profecto debebat

1) Mus. Rh. II, 1. p. 73. 2) cf. instar omnium Suet. Vesp. 6. Tacit. hist. 2, 74. De nomine praefecti Augustalis dubito, num jam primis duobus post Christum saeculis ita in usu fuerit, ut in publicis documentis exhiberetur. Certe nullum exemplum apparet. 3) Edict. Alexandr. l. l. 5. Vide locos alios apud Letronnium congestos p. 267. 4) Dio diversis locis. 5) Philo adv. Flacc. p. 965 et alibi. 6) Quae ad probanda satis multa citavit Letronnius quem vide p. 266 sqq. et Rudorffius p. 74. 7) Arrian. exp. Alex. 3, 5, 10. Aristid. I. p. 339. Certe non corrigendum. Etenim alii quoque praefecti a Graecis ὕπαρχοι vocantur. cf. Vales. ad Euseb. hist. eccl. IV. 1. p. 239. Wernsdorf ad Him. p. 297. 8) Rudorff. l. c. p. 74. 9) l. c. p. 73.

Aegypti praefectum nominari nemini non res invidiosa et honorifica videri. Deinde in Aegypto ipsa succedebant in regum locum [10]), quorum dignitas una in eos apud terrae istius populum transibat. Non tantum quos fundos reges habuerant privatissimos, in usum accipiebant [11]), verum etiam quae ex religione regibus perpetranda fuerant et observanda, postea praefecti non negligebant. Huc pertinet, quod in crescente Nilo navigare iis nefas erat [12]), quod in ea ora, quibus Aegyptum intrat Nilus, sacerdotes stipes, et aurea dona praefecti injiciebant, quum solenne veniret sacrum [13]). Denique quanto in pretio Aegypti praefecti nomen sit habitum, nec historicum documentum deest. Hadrianus enim Turbonem quendam, cui Daciam credidit, Aegyptiacae praefecturae titulo ornavit, *quo plus haberet auctoritatis* [14]). Quibus omnibus efficitur, illius provinciae praefectum dignitate non tantum aliis non inferiorem, sed etiam aliquatenus superiorem fuisse.

5. *Potestas.* Augustus quum novum hunc magistratum crearet, qui eandem auctoritatem eademque officia atque ii qui curulibus Romae magistratibus defuncti procurationes provinciarum susceperant, in Aegypto haberet, debebat hanc ei potestatem legitime tribuere. Hinc *imperium ad similitudinem proconsulis lege* ei dedit [1]), ac jussit, *apud eum lege agi decretaque ejus proinde haberi ac si magistratus Romani constituissent* [2]). Ut haec igitur Taciti verba ostendunt lites dijudicandi potestatem praefecto concessam esse, sic illud digestorum ad universam provinciae administrationem spectat. Hinc ex lege ei licebat edicta edere, justitiam exercere, pacem hominum custodire, ab injuriis vindicare, bonos defendere, malos poena afficere, denique ea omnia curare, quae et utilitati imperatorum inserviebant, nec provinciae securitati ac prosperitati officiebant. Prae aliis vectigalium, quae ipse locabat, et redituum rationes ei inspiciendae atque examinandae multa negotia exhibebant. (Vide infra.) — Neque tamen potentia ejus absoluta quaedam nullisque finibus coercita erat. Multa nimirum accidebant, quae decerni et perfici sine ipsius imperatoris voluntate non deberent. Flagitabat hoc provinciae dignitas. Itaque ne Tiberius quidem, Alexander egregius et apud imperatores plurimum valens praefectus iis omnibus, quae ab eo exigebantur, succurrere suo arbitrio poterat [3]), promittit tantum, se de iis rebus, quae ipsius potestatem superarent, ad imperatorem esse scripturum. Si quid nimirum provinciales ab imperatoribus ipsis vel concessum volebant vel sublevatum, non poterant, nisi intercedente praefecto impetrare (cf. Philo adv. Flacc. p. 979). Maxime quae ad vectigalia et munera publica spectant, ex iis nihil iis licebat sine consensu imperatoris vel addere vel detrahere, nisi vellent aut in repetundarum aut in negligentiae crimen incurrere [4]). Imperatores ipsi sibi jus vindicabant a muneribus publicis

10) Strabo p. 797. 11) idem p. 818. 12) Plin. n. h. 5, 9. 13) Seneca nat. quaest. 4, 2. 14) Spart. in Hadrian. 7. cum not. Casauboni.

1) Verba leg. 1. Dig. I. tit. 37. 2) Verba Tacit. Ann. 12, 60. 3) Edict. l. 9. 10. *προέγραψα ἀναγκαίως περὶ ἑκάστου τῶν ἐπιζητουμένων, ὅσα ἔξεστί μοι κρίνειν καὶ ποιεῖν. Τὰ δὲ μείζονα καὶ δεόμενα τῆς τοῦ αὐτοκράτορος δυνάμεως καὶ μεγαλειότητος αὐτῷ δηλώσω μετὰ πάσης ἀληθείας.* 4) cf. Cass. Dio 53, 18. Hinc in Ed. Alexand. l. 27. *ἀτέλειαι* et *κουφοτέλειαι* ad Claudium imperatorem referuntur, *ὡς ὁ θεὸς Κλαύδιος ἔγραψεν Ποστόμῳ ἀπολύων.* cf. lin. 62—65.

liberandi et tributa vel remittendi vel augendi. In reliquis tamen non ita gravibus rebus praefectus libero arbitrio agere poterat, et imperatoris ipsius videbatur vicem sustinere [5]), sed ita ut Romam reversus rationem rerum gestarum reddere deberet [6]).

Erant autem negotia in Aegypto provincialia tam implicita tamque multifaria, ut, quod apud Philonem legitur [7]), vix ab iis pernoscerentur, qui totam aetatem iis impenderent. Quapropter imperatori in eligendo praefecto duplex respiciendum erat, primum ut intelligentissimos ac prudentissimos ex equitibus constituerent Aegypti praefectos [8]), qui facillime et celerrime omnium rerum sibi pararent notitiam, deinde ut, qui aliquam in rebus gerendis facilitatem et calliditatem assequuti erant, eos ne citius a statu suo revocarent. Utrumque semper fere observatum est.

Jam si quis novus praefectus provinciam excipiebat, et ipse multa inveniebat, quae displicerent, et incolae, non singuli tantum sed tota collegia quid male se haberet, ad eum deferebant. Praefectus autem, ut gratiam eorum ac fiduciam sibi acquireret, audiebat eos libentissime et quantum fieri poterat, extemplo molestias removere studebat [9]). Quem in finem multis singulis mandatis opus erat. Ut vero in aliis provinciis proconsules et propraetores novi longiora edicta edebant indicantia, ex quibus rationibus vellent maxime judicia haberi; sic etiam in Aegypto vel simulac Alexandriam intravit novus praefectus, vel id quod ibi verisimilius, postquam provinciam visit et cognovit, suas judicandi et administrandi rationes edicto proponebat. Nam non necessarium fuisse, ut initio statim praefecturae acceptae quisque tale edictum promulgaret, Tiberius Alexander testimonio est, qui, quum Sulpicius Galba orbis terrarum imperium adeptus esset, idoneum tempus nactus ejusmodi edictum edidit, secundo vel tertio demum anno post, quam a Nerone in Aegyptum missus erat [10]). — Edicta praefecti Alexandriae dabantur, legitima imperii sede [11]), et appellabantur *διατάγματα* vel *προστάγματα* [12]), quo nomine, ut Rudorffius observat [13]), ab indigenis et antiquissimis Aegypti institutis discernebantur. Licet autem edicta in duas partes dividere. Alia singulas quasdam ac peculiares res tractabant et iis, ad quos pertinebant, magistratibus minoribus tradebantur exsequenda. Quorum nullum quidem nobis relictum exemplum, sed quoniam sine illis administrationem exactam ac bene ordinatam constare non posse, quisque videt, res ipsa documento est. Altera tam generalis argumenti erant, ut universae provinciae tanquam leges proponerentur. Ejusmodi edicta sunt illa Capitonis [14]) et Alexandri praefectorum, quae a temporum iniquitate nobis reservata

5) Rudorff. M. Rh. II, 2 p. 190. 6) Philo advers. Flacc. p. 980. 7) adv. Flacc. in initio. 8) Strabo de suo tempore *ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί.* 9) Edict. Alex. l. 5—6. *σχεδὸν δὲ ἐξ οὗ τῆς πόλεως ἐπέβην, καταβοώμενος ὑπὸ τῶν ἐντυγχανόντων καὶ κατ' ὀλίγους καὶ κατὰ πλήθη τῶν τε ἐνθάδε εὐσχημονεστάτων καὶ τῶν γεωργούντων τὴν χώραν* etc. 10) cf. Rudorff. l. l. II, 2. p. 156 Not. 5. et II, 1 p. 68. 11) Edict. Capit. lin. 9. *ἐκ τῆς πόλεως.* 12) Edict. Cap. lin. 9 et 3. Etiam hoc a Ptolemaeorum temporibus retentum. cf. Peyron. Papyr. Graeci. p. 4 lin. 13 et 30. 13) In explicat. Edict. Capit. p. 10. 14) Hoc edictum non ad Oasin tantum, verum etiam ad Thebaidem pertinebat, et multis locis, ad totam Aegyptum.

gaudemus. Quomodo autem ad notitiam totius populi pervenerint, tum demum poterimus accuratius demonstrare, si magistratus minoris gradus descripserimus.

6. Sedes suas praefecti Alexandriae habebant, totius provinciae capite, etiam in hac re Ptolemaeos imitantes. Nam quum ea, quae regum fuerant, in possessionem imperator acciperet, verisimile est, quae Alexandriae plurimae ac splendidissimae erant [1]) domus regiae, eas praefecto ad habitandum esse concessas. Ideo igitur et ob urbis magnitudinem, gravitatem, et, ut cum Hadriano loquar [2]), profunditatem malebant praefecti ibi habitare, quamquam ob situm remotum urbs minime digna erat, quae provinciae praefecti domicilium contineret. At solebant praefecti saepius, eo tamen tempore excepto, quo Nilus crescebat [3]), itinera suscipere maxime in superiorem Aegyptum (εἰς τὴν ἄνω χώραν), sive reliquas provinciae partes cognoscere vel miranda artis monumenta visere volebant, sive negotia gravia eorum ipsorum praesentiam flagitabant [4]). In hunc eorum usum Schediae quod oppidum 4 shoenos sive 240 stad. ab Alexandria aberat [5]), naves exstructae et ad navigandum paratae servabantur, quas θαλαμηγῶν nomine nuncupatas Strabo descripsit [6]). Videntur autem auctoritatis causa non sine magna comitantium amicorum caterva et aliqua militum multitudine proficisci soliti fuisse, adeo sacerdotes secum ducebant, literarum Aegyptiacarum gnaros, quibus opinor interpretibus uterentur de clarissimis illis quae visenda et cognoscenda erant, artis operibus [7]).

Reditus praefecti haud dubie ex certa quadam omnium Aegypti redituum parte constabat. Praeterea insulam aliquam in Thebaide sitam, quae regibus propria fuerat, tunc in usu habebant. Optimum palmarum genus proferebat haec insula, multaque inde pecunia praefecto redibat [8]).

Si quis denique successor erat praefecto destinatus, quamquam in aliis provinciis ejus, qui provinciam obtinebat, imperium eo ipso temporis momento, quo novus solum provinciale attigerat, finem capiebat, in Aegypto tamen procurator non prius praefecturam deponebat, quam successor Alexandriam intraverat [9]). Quae inter se differre videntur, sed si accuratius perpendis fere eadem sunt. Nam quum non nisi navibus Alexandriam tenderent novi praefecti — nisi forte, id quod rarius accidisse videtur, jam in Aegypto erant — non poterant Aegyptum attingere, quin una Alexandriae essent. Quod praeterea in aliis terris ei, quem novus quis in administratione excipiebat, intra triginta dies provincia relinquenda erat, cur non idem etiam ad Aegyptum pertinuerit, nullam caussam video, quamquam testimoniis hac de re vel affirmantibus vel negantibus caremus.

1) Strabo p. 793. 2) Apud Vopisc. in Saturn. c. 9. 3) Vide supra 4. not. 12. 4) In decret. Busirit. l. 23. de Balbillo Παραγενόμενος γὰρ, ἡμῶν φροντίσας, εἰς τὸν νόμον. cf. inscript. Mem. colum. apud Letronn. p. 265. maxime p. 404. 5) Strabo p. 800. 6) ibidem. cf. Appian. praefat: θαλάμηγα χρυσόπρυμνα καὶ χρυσέμβολα. De Schmidt Opuscula p. 147. 7) Sic certe Strabo de Aelio Gallo narrat, quocum Aegyptum perlustravit usque ad Aethiopiae fines p. 118. multi amici comitabantur. Memnonem audivit sonantem p. 816. Denique etiam ἱεροποιός τις καὶ ἐξηγητὴς τοῖς ξένοις τῶν περὶ τὰ ἱερά nomine Chaeremon eos aequabatur, qui talem aliquam doctrinam affectabat. Sed deridetur ab iis ὡς ἀλαζὼν καὶ ἰδιώτης p. 806. 8) Strabo p. 818. 9) Digest. lib. I. tit. 17.

B. DE EPISTRATEGO[1]).

7. Quum Ptolemaei Alexandriae habitarent, remoto hujus urbis situ, quem jam tetigimus, inter alia etiam hoc efficiebatur, ut reges, ne terrae administratio impedita et languida fieret, in remotioribus, ut videtur, regni regionibus et maxime, quantum constat, in Thebaide eos, qui singulis nomis propositi erant, non proximos a se haberent, sed nomarchis iterum suo ipsorum loco praeficerent, majori auctoritate praeditum, quem Epistrategi nomine ornabant[2]). Quo qui munere magnifico fungebantur, post reges ipsos secundum in Aegypto locum tenebant[3]). Romanis deinde, sub quibus et ipsis imperii sedes Alexandria manebat, magistratum illum, quem jam institutum inveniebant, retineri commodum visum est. Habebant tamen eum graviorem et potentiorem, quam quem alienis manibus crederent. Hinc factum est, ut ubicunque Romanorum aetate epistrategorum mentio fit, nonnisi Romana nomina deprehendas[4]). — In Thebaide igitur fuisse Epistrategum sub Romanis ex Ptolemaeorum temporibus retentum, et inscriptiones, quae ibi repertae sunt, evincunt, neque a viris doctis dubitatum est. Num autem etiam Heptanomis epistrategum habuerit sibi praefectum, Letronnius[5]) quaerit modo, Rudorffius[6]) non exploratum dicit. Quam ut quaestionem difficiliorem altius repetamus, proficiscendum duco ex loco quodam Strabonis ad quem viros illos doctissimos non satis attendisse miror, qui lib. XVII, p, 798 sic legitur: *Ῥωμαῖοι δ' εἰς δύναμιν, ὡς εἰπεῖν, ἐπηνώρθωσαν τὰ πολλά. τὴν μὲν πόλιν (Ἀλεξανδρείαν) διατάξαντες, ὡς εἶπον. κατὰ δὲ τὴν χώραν ἐπιστρατήγους*[7]) *τινάς καὶ νομάρχας καὶ ἐθνάρχας καλουμένους ἀποδείξαντες.* Jam si Strabo accurate scripsit, quam laudem cur ei hoc potissimum loco denegemus nulla causa subest, ex ejus verbis elucet: 1. Epistrategos numero plures, certe non unum fuisse. Plurali enim numero dixit *ἐπιστρατήγους*. 2. Eorum numerum haud ita magnum fuisse. Hoc suadet vox *τινάς*. Jam tibi revoca, quae supra (p. 4.) de terrae divisione indicavimus. Inferiorem enim terram et planiorem, Delta cum partibus ad utrumque latus adjacentibus, superiori fluminis valli contractiori quidem illi, sed longiori opponebant. Superiorem autem terram denuo in duas partes, Heptanomidem

---

1) Letronne Recherches p. 273—279. Rudorff. Mus. Rh. II, 1. p. 80 et 81. Qui viri doctissimi in universum egregie de hoc magistratu egerunt. 2) Hoc ita fuisse ad liquidum, puto, perduxit Letronnius p. 276 sqq. Nam eam, quam ibi proposuit inscriptionem: *Πτολεμαῖος Ἡρακλείδος ἐπιστράτηγος Θηβαΐδος ἦλθον* ... ad Ptolemaeorum tantum tempora pertinere, non tantum e peculiari Σ forma verisimile fit, sed etiam quod nomen proprium epistrategi Graecum est. Apud Romanos nemo Graecus unquam, ut constat, ad hanc potestatem promotus est. 3) Hinc haec potestas in eos conferebatur, qui domo regiae adjunctissimi et acceptissimi una titulo *συγγενῶν* gaudebant. Vid. inscript. apud Letronn. p. 276 et p. 301. l. 15. De titulo illo p. 321 sqq. 4) Vid. nomina apud Letr. p. 275 congesta. 5) Recherch. p. 275. 6) Mus. Rh. II, 1 p. 81. 7) Korray variam lectionem *ὑποστρατήγους* recepit, id quod probat Groskurdt in versione sua Tom. III. p. 355. Not. 1. quia *ἐπιστράτηγος* et inusitata vox sit et ideo non admittenda, quod nihil aliud nisi simplex *στράτηγος* possit significare. At vocem non ita inusitatam certe in Aegypto fuisse, inscriptiones docent, et suam propriam significationem habere postea videbimus. Ita etiam quae Leronnius disputavit p. 271, irrita fiunt.

et Thebaidem dividebant [8]). Quae quidem divisio non tantum ex natura regionis facta erat, verum etiam politicam, quo verbo utar, auctoritatem nanciscebatur, ut inferior terra et utraque pars superioris tripartitam provinciae administrationem efficerent. Quaeque ex tribus his partibus certum aliquem nomorum numerum comprehendebat. Jam ut cuique nomo strategus praeerat (vide infra), sic omnibus unius partis strategis unum epistrategum fuisse praepositum, animo facile se offert. Ac revera contingit, ut ex quaque trium illarum partium inscriptiones innotuerint, in quibus epistrategi mentio est injecta. Tentyride Thebaidis urbe in Isidis quadam propylo inscriptio legitur, cujus apographum apud Letronnium invenis p. 157., in qua Mar. Clodius Postumus quidam epistrategus commemoratur Augusto imperante. Antinoae deinde, quae urbs in Heptanomide sita erat, sub Severo Alexandro Vibius Severus Aurelianus (ex Letronnii restitutione p. 283), denique prope Sphingem in nomo deltano Letopolita Luccejus Ofellianus, Antonini et Veri tempore [9]), epistrategi nominantur. — Quod si Thebais tantummodo epistrategum habuisset non video, cur ejus nomen etiam in aliis Aegypti regionibus sic anxie in publicis documentis exhibitum sit. Nam si forte officii munus, quo in Thebaide epistrategus fungebatur, etiam ad reliquam Aegyptum pertinuisset, ut nomen ejus publice consignarent, si ille unus igitur tanquam omnium magistratuum summus praefecto adjutoris ac ministri loco in rebus gerendis adfuisset, atque imperium ejus per omnem Aegyptum fuisset extensum, nullum fere discrimen inter eum et praefectum intercessisset. Denique quia numero unus tantum erat, cum his Strabo componi non potest. Puto potius plures epistrategos fuisse, et tres quidem. Sed vereor ne quis mihi objiciat, si plures epistrategi fuissent, ne inter se commutarentur, nomen ejus regionis, cujus imperium tenebant, nomini ipsius viri adjiciendum fuisse, ut appareret, num Thebaidis an Heptanomidis epistrategus esset intelligendus. Id quod in exemplis quae hodie e Romanorum aetate supersunt, vix semel factum est. Attamen etiam strategi, quorum longe major erat multitudo, et ideo longe facilior fieri poterat commutatio, saepius nihil, interdum τοῦ νόμου [10]) ad ipsorum nomen adjectum habent. — Indicabat potius locus ipse, in quo erat inscriptio exarata, vel silens nomum, nomus autem eam Aegypti partem, in qua situs erat. — His denique, quae in universum disputavimus, duo addimus testimonia, quae de duarum Aegypti regionum epistrategis omnem nobis dubitationem eximunt. In inscriptione enim aliqua Memnonis [11]) Claudius Geminus quidam epistrategum Thebaidis (ἐπιστράτηγον Θηβαΐδος) se profitetur, quae epistrategia praeterea ab inscriptionibus Ptolemaeorum aetatem referentibus commendationem habet. Altera deinde inscriptio, atque illa quidem non in Aegypto reperta [11]), inter alia multa C. Camurii Clementis cujusdam munera etiam *epistrategiam septem nomorum et Arsinoitae* commemorat. Sub septem nomis Heptanomis Aegypti latet, cui, ut octavus nomus, Arsinoïta accedebat.

8) Strabo p. 887. Plin. n. h. 5, 10. cf. Ritter Erdkunde I. p. 704. 769. Peyron pap. Gr. p. 65. 9) cf. Letronne p. 242 et 407. 10) cf. Inscript. apud Letr. p. 242. 11) Quam apud Letronnium invenies (in Rech. p. 274) et melius restitutam et explicatam (in La Vocale statue etc. p. 227 sq.). 12) Quam idem Letronnius mihi indicavit La Vocale statue l. c., quaeque legitur apud Muratori 686, 6; 1096. 3. Orelli 516.

8. Nomen huic magistratui unice sub Romanis tributum ἐπιστράτηγος est, vel, si ad tempus, per quod munere fungebatur, indicandum participio verbi utebantur, ἐπιστρατηγῶν (ἐπιστρατηγοῦντος etc saepius). Ceterum nihil additur [1]). Potestas ejus ex ipso nomine patet; epistrategus enim is erat, qui strategos imperio suo ac custodiae habebat subjectos, ita ut eo superior praefectus tantum ipse esset. Officia ejus, de quibus certius nihil constat, haec fuisse opinor, ut quae leviora erant vel celerrime decernenda, libero arbitrio constitueret, quae graviora, de iis ad praefectum scriberet [2]), ut fortasse praefecti absentis vice jus diceret, ut denique, quum strategi natu Aegyptii essent, vigilaret, ne quid contra Romanorum utilitatem vel praefecti voluntatem susciperent. Habes in ultimis causam satis gravem, cur et Romani et plures epistrategi constituerentur. Ob haec omnia cum Letronnio consentimus [3]), epistrategum magistratum civilem fuisse; quod autem addit, aut talem fuisse, qui civile imperium cum militari conjungeret, hanc ejus opinionem jam Rudorffius refutavit [4]). Nam et ipsum nomen obest, quod fortasse contrarium intendere suspiceris. Neque enim strategi, quibus similitudinem quandam intercessisse cum epistrategis vel nomina indicant, cum re militari, ut infra docebimus, quidquam habebant commune, et ambo magistratus in inscriptionibus, quae de rebus civilibus agunt, juxta se positi reperiuntur. Denique Strabo ἐπιστρατήγους inter ἐπιχωρίους ἄρχοντας habet, rem autem militarem statim ei loco, quo de Romanis magistratibus egit, subjungit [5]).

Verisimile est, epistrategos in mediis iis nomis habitasse, qui ipsorum custodiae erant addicti, aliquam tamen anni partem itineribus per provinciam faciendis consumsisse [6]). Certam autem sedem suam in maxima ac nobilissima epistrategiae urbe eos habuisse, aliquid probabilitatis inde nanciscitur, quod Claudius Geminus epistrategus se Memnonem scribit sonantem audisse III hora, quum adverso, II hora quum secundo flumine navigaret. Hinc Letronnius [7]) infra Thebas eum habitasse concludit, et Ptolemaide quidem, quae splendidissima tunc Thebaidis urbs erat nec magnitudine Memphidi cedebat [8]). Creabat vero praefectus hunc magistratum haud dubie ex iis Romanis, qui in provinciam eum sequuti erant. Num vero ii, qui constituti erant, usque ad mortem in hoc magistratu remanserint, an, novo praefecto misso, novi etiam epistrategi sint nominati, nescimus.

C. DE STRATEGO SIVE NOMARCHA [1]).

9. Jam antiquissimis temporibus factum erat, quod terrae natura flagitabat, ut universa Aegyptus in particulas divideretur nomorum nomine nuncupatas, quarum cuique magistratus quidam (νομάρχης) praeponebatur [2]). Quorum nomorum

1) Aliter res sub Ptolemaeis se habebat; eo tempore plenior saepe et ornatior titulus. cf. Letronne p. 301. 279. 276. Peyron. Papyr. Tur. p. 66. 2) Simile quid de Epistratego ex Ptolemaeorum aetate narratur in inscriptione modo citata. lin. 14. 3) Recherches p. 273. 4) Mus. Rh. II, 1 p. 80. 5) Strab. p. 797. 6) Si quid e Ptolemaeorum aetate concludere licet. cf. Peyron. Papyr. Graeci I, I. 16. p. 66 sqq. 7) La stat. vocale p. 227. 8) Strab. p. 813.

1) Letronne Recherches p. 267—273. Rudorff. Mus. Rh. II, 1. §. 6. p. 74—77. 2) Diod. 1, 54. 73. Plin. n. h. 5, 9. de suo tempore.

numerus quamquam diversis temporibus modo auctus est modo imminutus, tamen haec divisio terrae ipsa per omnem deinde antiquitatem duravit. Itaque etiam a Romanis retinebatur[3]) et una cum ea magistratus, qui singulis nomis praeerant[4]). Quibus nomarchis quae officia obveniebant subeunda, quum ea ejusmodi essent, ut accuratam quandam locorum notitiam flagitarent, non ex re videbatur, etiam has nomorum praefecturas Romanis tribuere, quorum praeterea non tantum numerum Augustus volebat in provincia administranda occupatum esse. Inde explicatur, cur inter ea, quae relicta nobis nomarcharum nomina sunt, et quae collecta uno conspectu apud Letronnium[5]) habes, ne unum quidem Romanum invenias. At si recte se habet, quod Isidorus Pelusiota scribit[6]), etiam indigenis Aegyptiis, intelligo eos qui ab origine meri Aegyptii erant, publica munera conferri non in usu fuisse, soli Graeci vel Judaei reliqui sunt, quibus illae praefecturae demandatae esse possint. Nihilominus inter nomarcharum nomina reperiuntur, quae aperte Aegyptiacae stirpis sunt, ut Paenias, Tryphon, Sarapion. Quae ut componamus auxilio nobis est ea, quam supra proposuimus, sententia, Graecorum quidem aliquam partem in urbes nonnullas sese contulisse pristinamque indolem integram conservasse, reliquos autem per terram dissipatos commercio connubioque sese cum primoribus Aegyptiorum conjunxisse, quos Graeca eruditio literaeque Graecae alliciebant et quasi subigebant. Inde primum sequebatur, ut Aegyptiorum multitudo quaedam Graecis moribus intacta et pristinis majorum moribus inhaerens, tanquam rudis et indocta secerneretur. Atque in ejusmodi homines, puto, cadunt Isidori verba. Iis munera publica concedi, non in usu erat.

Quod autem, Aegyptiis Graecisque et consuetudine et sanguine junctis inter se atque commixtis, prodibat incolarum genus, ii infimae Aegyptiorum plebi oppositi et literarum intelligentes ad negotia publica capessenda accedebant. Itaque factum est, ut et Graeca et Aegyptia nomina strategi haberent, neque meri tantum Graeci, sed etiam Aegyptii Graecis similes nomos acciperent administrandos[7]).

Nomen hujus magistratus, quod extra omnem dubitationem positum est et ipsam muneris potestatem indicat, erat *νομάρχης* h. e. qui nomi alicujus imperium et administrationem habet[8]). Ceterum mirum videri potest, quod in iis, quae Romanorum aetate exaratae sunt, inscriptionibus *νομάρχης* nomen nusquam apparet, sed is, qui nomo praesidet, ubique *στρατηγός* appellatur[9]). Hoc ulterius nomen cave tamen credas sub Romanis in Aegypto militare imperium innuere. Num enim a Ptolemaeis, sub quibus idem nomen obvium de nomi magistratibus, et a quibus Romani acceperunt, interdum vel ii, qui militibus imperabant, etiam ad civiles res administrandas admissi, vel qui civiles magistratus gerebant, militaribus titulis ornati fuerint; an moris fuerit, ut militare imperium semper cum civili con-

3) Plin. l. l. 4) Strabo p. 798. 5) Letronn. Rech. p. 272. 6) I. p. 489. 7) Hinc Rudorffius in Capitonis Edicto p. 9 non ex omni parte recte de Posidonio stratego concludit, quamquam ob nomen hunc ipsum Graecum fuisse non negamus. Melius judicavit idem in Mus. Rh. II, 2 p. 180 Not. 5. 8) Strabo p. 798. 9) ex. gratia *Θέων στρατηγὸς τοῦ νόμου* Letronn. p. 242. Interdum ipsius nomi nomen additur. vide Letronn. p. 268. Nihil prorsus adjectum in Edicto Capit. lin. 1.

junctum sic praevaleret, ut alterum nomine suo comprehenderet [10]), id in dubio relinquo: hoc tamen mihi constat, sub Romanis militare imperium stratego nec concessum esse, nec concedi potuisse. Primum enim quum tres Romanorum legiones in Aegypto essent collocatae, nomorum autem praefecturae indigenis tantum hominibus demandarentur, Romanorum militum imperium esse provincialibus commissum nec per se credibile est et moribus Romanorum iisque quae in regendis provinciis consilia sequebantur, quam maxime adversatur. Ad hoc argumentum firmandum accedit, quod e contrario militares omnium ordinum centuriones qui ex inscriptionibus innotuerunt, Romana nomina profitentur [11]). Deinde quam ad rem Rudorffius maxime attendit [12]), hoc munus inter *Λειτουργίας χωρικάς* habetur [13]), nullumque inter ea, quae stratego agenda erant negotia apparet, quod vel levissimo indicio militiam denotet. Romani igitur hoc strategi nomen quod cum tota nomorum administratione a Ptolemaeis veluti hereditate traditum erat, et ipsi nomarchis permiserunt, potestatem autem militarem si quae fuerat sub regibus cum titulo conjuncta, ademerunt omnem. Ceterum strategus nusquam nomarchae nomine in publicis documentis appellabatur, quod haud dubie illud insignius et magis honorificum esse videbatur, quemadmodum etiam praefectus libentissime *ἡγέμων* audiebat.

10. Potestatem strategi prioribus temporibus, antequam Romani Aegyptum tenebant subactam, majorem fuisse ac sensim de ea detractum esse, elucet, si cum Diodoro Strabonem comparas. Quum enim primum a Sesoosi hic magistratus constitueretur, regiorum redituum omniumque rerum in sua quisque praefectura curam atque arbitrium habebat [1]). Sub externorum regum imperio quamquam verisimile est in arctiores fines nomarcharum potentiam contractam esse, tamen Lagidarum aetate fortasse aliquod militare imperium iis relictum, certe omnis reliqua nomi administratio concessa erat [2]). Quae quoniam satis gravia erant, omnia remansisse iis etiam sub Romanis, propter Strabonem nego. Is enim non nisi exigui, ait, momenti rebus qui praeessent, dignos eos habitos esse [3]). — Officia eorum Romanorum aetate omnia, quantum e levibus quibusdam vestigiis cognoscere et in universum judicare licet, ad propriam nomi administrationem pertinebant. Exeundum est de inscriptione, quam Niebuhrius dedit [4]), Talmi Nubiae urbe reperta. In ea Besarion quidam Ombiti nomi strategus haec promulgat: Quum Myron, pontifex summus, literis a se petivisset, ut ante diem duodecimum mensis Choeak sues e vico sacro Talmi depellerentur, se imperare omnibus qui possiderent sues, ut hos intra duodecim dies inde abigendos curarent. — Quae

---

10) Quod etsi potest probabile reddi, tamen non nimium tribuerim ei, quod in papyro apud Peyronium pag. I lin. 14 Hermias quidam *συγγενὴς στρατηγὸς καὶ νομάρχης* una appellatur. Constat enim Aegyptios et in tribuendis titulis sedulos et accipiendis mirifice delectatos esse, ut vel synonyma in aliquem cumulare studerent. cf. eund. Peyron. p. 9 et 66. 11) Vid. Letronn. Rech. p. 272. 12) Mus. Rh. p. 76. 13) Edict. Alex. l. 34. 35.

1) Diod. 1, 54. 73. 2) Peyr. Papyr. Gr. 61. 3) Strabo p. 798. *πραγμάτων οὐ μεγάλων ἐπιστατεῖν ἠξιωμένοι.* 4) Inscript. Nubiens. p. 10. cf. Letronn. Journal des Savans. 1821 p. 400.

quum res ad diciplinam publicam spectet, ex singulari hac re strategos concludimus ea omnia quae necessaria viderentur ad publicam securitatem ordinemque defendendum ac conservandum providisse, atque hunc in finem in suo nomo quemque consilia capere rationesque inire libero arbitrio potuisse. Deinde si quae edicta mandataque praefectus vel epistratego vel quod magis constat strategis miserat, quamcunque rem continebant, curandum iis erat, non tantum ut lapidibus incisa populo innotescerent [5]), vel si ad singulos pertinebant his traderentur, sed etiam, opinor, ut observarentur iique qui contra agerent, vel ab ipsis punirentur vel ad praefectum denuntiarentur. Praeterea vectigalibus tributisque non dispertiendis quidem vel ipsi praeerant, vel eos qui praeerant sibi subditos habebant, sed juxta eos positi exigenda tantum ea et vi compellenda per minores magistratus curabant. Hanc enim ob causam puto Tiberio Alexandro praecipiendum fuisse, quum paulo ante de eclogistarum avaritia ac nequitia disseruerit, ne quis strategus ab eclogistis, quippe qui plurima praeter praefecti voluntatem sibi ipsis scriberent, doni quid, praefecto non permittente, acciperet [6]). Poterat enim strategus tabulas censuales inter se comparans facillime sentire, si quae erant ab eclogistis injuste postulata, eorumque exactionem aut, recusare aut si cum illis conspirans malebat et ipse in suam utilitatem fraudare, contra jus fasque exigere. Quod nisi ita fuisset, Tiberius Alexander, ad quem plurimae de tributis falso auctis querelae ex tota Aegypto pervenerant, strategis imperare non potuisset, ut ea quae nimia proximis quinque annis compulsa fuissent, ad pristinum tabularum statum revocarent eorumque exactionem omitterent [7]).

Denique ex aliquo edicti Tiberiani loco [8]) apparere Rudorffio visum est, strategos a nomis creatos et a praefecto *μετὰ διαλογισμόν* constitutos esse [9]). Quod quamquam similibus aliarum provinciarum institutis commendatur, tamen in Aegypto mirum esse debet, quod Romani provincialibus ita seditiosis tantam concesserunt in res suas gubernandas auctoritatem, ut suos sibi ipsi eligerent magistratus. Accedit, quod hic mos non antiquitus traditus est [10]); num autem Romanorum demum temporibus invaluerit, etiam magis dubium fit propter Strabonem, qui a Romanis ait strategos designatos esse [11]). Quum praeterea in ipsis Alexandri verbis de creatione nihil dictum sit, et *καθίστασθαι* potius contrarium probet, his adducimur, ut strategos a nomorum incolis ipsis electos esse, non prorsus asseveremus. — Potest deinde ambiguum esse, quid sit *μετὰ διαλογισμόν*. Rudorffius ad novum nomi praefectum trahit et explicat, causa cognita, examine instituto. Ad rationes enim referri non posse, quandoquidem rationes non nisi is reddat, qui munere perfunctus est. At nego equidem, eo loco voci *διαλογισμῷ* longe aliam vim subjicere licere, quam quae in proximis subest (cf.

---

5) cf. duo edicta Capitonis et Alexandri in initio. 6) Edict. lin. 53: *κελεύω δὲ καὶ τοῖς στρατηγοῖς μηδὲν παρὰ ἐκλογιστῶν παραλαμβάνειν χωρὶς ὑφέσεως τοῦ ἐπάρχου.* 7) Edict. Alexandr. 49—51. maxime 50. *παρέντες αὐτῶν τὴν ἀπαίτησιν.* 8) lin. 35: *Μελήσει δέ μοι καὶ τὰς στρατηγίας μετὰ διαλογισμὸν πρὸς τριετίαν ἐγχειρίζειν τοῖς κατασταθησομένοις.* 9) Mus. Rh. II, 2, p. 181. 10) l. c. 11) p. 798. *νομάρχας ἀποδείξαντες.*

lin. 36. 37). Quum deinde totus ille locus (lin. 33 — 35) de privilegio agat, ex quo civibus Alexandrinis hoc strategiae munus recusare licebat, etiam verbis his continuo adjunctis (μελήσει δέ μοι etc.) quae ad strategos ipsos pertinent, consentaneum est, beneficium exprimi, quo eos, qui e reliquis Aegyptiis strategi constituti hoc munus repudiare non poterant, frui volebat Tiberius. Quapropter ego verba μετὰ διαλογισμόν arcte cum τὰς στρατηγίας conjungo atque hanc statuo Alexandri sententiam esse, iis, qui novi constituti essent strategi, se fore strategiam nunquam in manus traditurum, nisi antequam administrationis proxime praeteritae rationes accepisset. Poterat enim fieri, ut nonnulli res turbatas relinquerent, quodque hi culpaverant, successores plecterentur.

Accipiebant autem strategi praefecturam suam in tres annos [12]). Quo temporis spatio praeterito praefectura vel in tres annos denuo eidem prolongabatur vel a novo excipiebatur, ita tamen, ut et fungentes hoc magistratu per plura triennia et defuncti rationes rerum gestarum tertio quoque anno reddere deberent.

Domicilia sua strategum in nomi metropuli habuisse, vel sine ullius aucturis testimonio nemo negabit.

D. DE TOPARCHA [1]).

11. Pergimus de majorihus ad minora descendere. Quemadmodum enim plurimos e nomis his, de quorum magistratu modo egimus, denuo in particulas quibus τοπαρχιῶν nomen inditum erat, antiquitus divisos esse e Strabone constat [2]), sic etiam singulis his partibus suos non defuisse magistratus, et ex reliqua administrationis forma exacta et e terrae populique natura probabiliter concluditur, quamquam neque proprium hujus magistratus nomen neque potestatem officiave cognita habemus. Ne tamen prorsus nomine careant hi magistratus, malumus eus Graece vocare toparchas, quod nomen una officia eorum denotat. Cogitamus enim eandem rationem quae inter strategum intercedebat et nomum totum, repetitam et quasi multiplicatam, sed propterea minore auctoritate ornatam inter toparcham obtinuisse eamque nomi partem (τόπον), cui praeerat. Ceterum mihi persuasum est, non omnes nomos in toparchias divisos fuisse, sed majores tantum et maxime eos, qui agricultura florebant, in quibus quotannis finium confusio accuratissimam agrorum divisionem terminorumque custodiam flagitabat. Strabo enim πάλιν δ' οἱ νομοί, ait, τομὰς ἄλλας ἔσχον. εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄροντο [3]). Nimirum si montosus sterilisque erat nomus vel parvo ambitu, et ipse quasi unam toparchiam efficiebat, ut qui variis rebus gerendis varii curatores praefecti erant, strategum ipsum sibi proxime praepositum haberent. Quum autem extensiuribus nomis in plura territoria discissis facillimum esset, majorem aliquam partem quae propria sua administrationis forma a reliquis sejuncta erat, de tuta avellere et inter nomos ipsos referre, inde patet, cur nomorum numerus omnibus temporibos tantopere variaverit. Ex altera parte haud dubie cavendum est, ne in antiqua Aegypti Geographia singularem aliquam hanc partem, quum pro se videatur totum efficere posse, pro nomo ipso accipiamus [4]).

12) Ed. Alexandr. lio. 35: πρὸς τριετίαν.

1) Rudorff. Mus. Rh. II, 1, p. 77—80. 2) p. 787. 3) ibid. 4) Simile quid

Neque tamen in toparcha longam magistratuum seriem jam interruptam esse, ita ut omnium esset infimus, verisimile est. Etiam toparchia latiorem habebat ambitum, quam ut omnia possent ab uno provideri. Quum autem et urbes amplecteretur toparchia et vicos agrosque, inde minorum magistratuum duplex genus procedit, quorum unum urbibus et vicis, alterum agris praeerat. Tota enim in Aegypto terra tali ratione divisa erat, ut aut frugifera (σιτόφορος) esset aut hominibus habitata et sterilis (ψίλη γῆ)[5]. Fertilibus autem agris suos curatores fuisse praefectos, et ipsa terrae natura suadet et inde intelligitur, quod ψιλοτοπαρχίαι[6]) nominantur, h. est agrorum non frugiferorum praefecturae, quae ita dictae non essent, nisi illis alteris fuissent oppositae. Fundis autem colendis qui praeerant, satis gravi munere fungi videbantur. Quid quod eorum curae et fines agrorum et fossae creditae erant et omnino inundationes Nili regendae atque, quoad fieri poterat, latissime circumducendae[7]). — Ψιλοτοπαρχιῶν autem et ipsarum duplex genus fuisse videtur, unum urbium, alterum vicorum; quamquam neque de singulis earum institutis ac legibus neque de ea ratione qua inter se conjunctae erant, in tanta testimoniorum penuria certius quid affirmare audeo. Hoc tantum cum Rudorffio[8]) negamus, urbes Aegyptias, paucis exceptis de quibus infra dicemus, propriam suarum rerum administrationem habuisse. Quoniam autem eas in uno nomo vel in una toparchia omnes ab unico stratego vel toparcha ipso administratas esse, propter numerum urbium et magnitudinem, incredibile est; nihil relinquitur quam ut minores magistratus, qui in ψιλοτοπαρχῶν numerum referendi sunt, iis praepositos fuisse statuamus. Ac revera apud Polybium Audaeus quidam commemoratur, qui urbi Bubasto praeerat[9]).

E. DE ETHNARCHA.

12. Toparchis apponimus, quandoquidem ab iis diversos fuisse putamus, eos qui ethnarchae vocantur. Inter quos duos magistratus quum discrimen aliquod intercessisse vel diversa nominum notio simpliciter indicet, tamen Rudorffius unos eosdemque fuisse evincere studuit[1]). Videndum autem est, quid valeant eae ra-

Boeckhio V. Cl. accidisse dicerem, qui (in Nechutis Papyro) p. 19. Pathyritam nomum habet, quamquam a nullo nec scriptore nec numo apelletur, nisi jam Saint-Martin se in eodem documento rectius *Παθυρίτην* legisse quem nomum Plinius affert (n. h. 5, 9) asseverasset. cf. Journal des Savans 1822 p. 558.

5) Nos Droysenii explicationem quam de *ψίλη γῆ* dedit in Mus. Rhn. 1832 III, 4 p. 513 amplectimur, ita ut *ψίλη σιτόφορον* oppositam esse cogitemus. In illa habitabant homines, in hac agriculturam exercebant. — Inter agros enim discernere arboribus consitos vel non consitos, quod Boeckhius proposuit, propterea in Aegyptum minus quadrat, quod silvae in ea nullae sunt totaque paene terra arboribus nudata est. 6) Sic in Nechutis papyro unus ex iis qui sunt *ἐπὶ ψιλοτοπαρχίας*, Ptolemaide unum mensem *ἀγορανομίαν* exercet. Quia autem ejus nomen ad tempus declarandum quo factum est documentum, illi mancipii legi praescribitur, verisimile est, hunc magistratum ut summum etiam vendendo et emendo in illa urbe praepositum fuisse. cf. Boeckh. p. 4. Buttmann Orosurkunde p. 13. 7) Fortasse in hunc sensum dictum est: *ἐπιμελετὴς τοῦ τόπου* in Journal des Savans 1824 p. 694. 8) Vide rationes ejus l. c. p. 77. 9) Polyb. 15, 27.

1) Mus. Rh. II, 1. p. 79.

tiones, quibus innisus hanc suam sententiam est effatus. Atque primum quidem in edicto Capitonis [2]) Letronnius num lacunae cujusdam supplementum secutus ethnarchas nominari iisque a praefecto imperari statuit, ut hoc ipsum edictum in metropoli aliisque nomi urbibus promulgandum curarent. Nunc tamen diversis apographis inter se comparatis apparet aliquot literas prorsus evanuisse, ex vestigiis autem earum quae residuae sunt, non σὺν τοὺς ἐθνάρχας, quemadmodum satis festinanter aliquando Letronnius locum expleverat [3]), sed quod ipse Rudorffius postea accuratius eum lacuna exhibuit [4]), σὺν σε ἐν . . . . restituere licere. In quibus nullum locum ethnarchis concessum fuisse, puto nunc etiam Rudorffium non negare. — Deinde secundum Strabonem [5]) disputat omnem Aegyptum in provincias (epistrategias), quamque provinciam in nomos, quemque nomum denuo in toparchias divisum fuisse. His autem ab eodem scriptore alio loco [6]) tris magistratuum genera illis partibus et numero et auctoritate paria opponi, epistrategos, nomarchas, ethnarchas. Ut autem epistrategus ad provinciam, ad nomum nomarcha pertineret, sic toparchiae respondisse ethnarcham. Verumtamen horum magistratuum et origo et auctoritas et ordo sic cum illa terrae divisione conjunctus erat, ut quisque ab ea cui praeerat, terrae parte, non ab hominibus qui incolebant, nomen acciperet. Quod si nomo nomarchs respondet, profecto male a toparchia ethnarcha est. Deinde Strabo altero loco eos magistratus enumerat, quos Romani ipsi designassent, h. e. quorum penes praefectum nominatio vel constitutio esset. Praefectum autem etiam toparchas aliusque ejus vel etiam minoris gradus magistratus, qui numero nescio quot centeni erant, per universam Aegyptum ipsum creasse se constituisse, nemo putabit, qui quantopere hac re negotia ejus per se jam satis gravia ac impedita aucta fuissent, secum reputet. Nisi enim a populo creabantur, eorum designatio sine ullo rerum Romanarum detrimento strategis vel epistrategis permitti poterat. Denique, id quod gravius est, ipsius vocis ethnarchae notio longissime recedit ab eo magistratu qui locis praeest. Ethnarcha enim non est nisi is qui in gentem aliquam, quatenus origine, moribus, institutis ab aliis diversa est, imperium exercet. Vidimus autem supra in Aegypto etiam peregrinae stirpis gentes degisse, quibus qui summus magistratus praeerant, ii jure ethnarchae appellabantur. Quae sententia ne documento careat, contigit nobis, ut de uno ethnarcha, qui Judaeorum erat Alexandrinorum vel fortasse omnium in Aegypto viventium, accuratiora sciamus. Strabo enim, gravissimus auctor, apud Josephum hunc summum fuisse gentis magistratum scribit [7]) tantaque auctoritate praeditum, ut totam gentem regeret, juris dictionem exerceret, pacta rata faceret, mandata curaret, quasi nemini pareret solutusque esset reipublicae gubernator. Dubium esse non potest, quin hic ethnarcha et ipse Judaeus fuerit. Quod autem proprios suos magistratus habebant Judaei, etiam inde argu-

2) lin. 10. 3) Postea maluit idem: σὺν σε ἐν βραχεῖ χρόνῳ ἔν τε τῇ μητροπ. etc. Quod majorem habet veri similitudinem. 4) In eo quem de hoc edicto scripsit tractatu p. 5. 5) Strabo p. 787. 6) idem p. 798. 7) Ant. Jud. 14, 7, 2. e Strabonis libro ὑπομνημάτων ἱστορικῶν: καθίσταται δὲ καὶ ἐθνάρχης αὐτῶν (Ἰουδαίων), ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος καὶ διαιτᾷ κρίσεις καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων, ὡς ἂν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς cf. 19, 5, 2.

mentamur, quod supra contendimus, plurima iis in Aegypto felicia contigisse, neque eorum conditionem tam miseram fuisse, quam vulgo putatur. Cui autem viro tot tantaeque res curae erant, aequabat is haud dubie auctoritate strategos nec ulli nisi praefecto ipsi vel in universum Romanis magistratibus cedebat. Quod si ita se habebat, porro consentaneum, magistratum hac potestate conspicuum vel e praefecti voluntate electum vel certe ab eo acceptum ac constitutum esse, id quod designare videtur Strabo 8). Ceterum ethnarchae in Aegypto haud dubie plures erant, quamquam de reliquis nihil constat.

F. DE ALABARCHA ET ARABARCHA 1).

13. Josephus duobus locis mentionem injicit Alexandri cujusdam, Judae Alexandrini, genere et divitiis inter aequales excellentis, qui pater fuit Tiberii Alexandri praefecti. Eum scribit Alabarcham fuisse 2). Quod nomen quum putarent nonnulli 3) Josephum non sine aliqua viri laude utroque loco commemorasse, alabarcham pro summo Judaeorum in Aegypto magistratu habuerunt, ita ut idem esset atque ethnarcha. Quam quidem sententiam quae affirment et alia testimonia desidero, neque intelligo quomodo haec notio possit cum ipsa alabarchae voce conciliari. Compositam eam esse explicant ex ἄλαβα 4) id est atramentum, et ἄρχειν, ut sit scripturae magister. Atque huic significationi favere ea, quae in codice Justinianeo de alabarchae officiis legantur 5). Ibi enim videtur publicanus esse, qui vectigali praeerat de armentis exigendo ex una terra in alteram traductis. Sed non patet cur hic potissimum de scribendo nomen duxerit. Crederes jocose quaesitum nomen mox publicam auctoritatem nactum esse, atque huic opinioni Juvenalis favet, qui Alexandri filium Tiberium (nam hunc intelligendum esse censeo) et ipsum alabarcham tecte nominat. Sed tum quem Josephus titulum Alexandro laudi duxit, in filium ejus contemptim injecit Juvenalis 6). Propter haec omnia certius quid de alabarcha illo nunc constituere non ausim. Sed quocunque modo haec res se habet, diversum ab illo eum fuisse judico, qui in inscriptionibus ἀραβάρχης vocatur 7). Statuo enim cum Letronnio 8), hunc magistratum sub imperio suo eam Aegypti partem habuisse, quae Rubrum mare versus sita et ipsa Arabia vocabatur neque aliis nomis adscribebatur. Maxime eam regionem intelligo, quae inter brumalem ortum et meridiem a Thebaide ad mare patebat, neque propter montes ad agriculturam exercendam idonea erat. Posside-

8) Strabo p. 798. cf. Joseph. Ant. Jud. 19, 5, 2. In Claudii imperatoris ad praefectum epistola de Augusto: *τελευτήσαντος τοῦ Ἰουδαίων ἐθνάρχου τὸν Σεβαστὸν μὴ κεκωλυκέναι ἐθνάρχας γίγνεσθαι.* Ex quo loco apparet jam ante Romanos Judaeis Alexandrinis ethnarcham fuisse. Fortasse etiam hoc inde recte concluditur, ethnarchae constituto munus suum usque ad vitae finem mansisse.

1) cf. Reynier l'Egypt. p. 193. 255. 2) Ant. Jud. 20, 5, 2. 19, 5, 1. cf. 8, 6, 3. 3) cf. Rudorff Mus. Rh. II, 2, p. 155. 4) Hesych. sub voce. 5) l. 9. Cod. IV. tit. 61. 6) Satir. 1, 130. 7) Inscript. apud Letr. Rech. p. 274: *Κλαύδιος Ἐμιλίανος ... ἀραβάρχης καὶ ἐπιστράτηγος Θηβαΐδος.* Papyr. Gr. Tur. apud Peyronium p. 71. *Ἀπολλώνιος Πτολεμαίου ἀραβάρχου υἱὸς στρατηγὸς τοῦ Ὀμβείτου καὶ τοῦ περὶ Ἐλεφαντίνην καὶ Φίλας καὶ παραλίαν τῆς Ἐρύθρας θαλάσσης* etc. 8) l. c.

bant enim ad mare Erythraeum Romani longum terrae tractum in quo Berenice, Myos Hormos, aliae urbes sitae erant. Atque qui has regiones ad mercaturam exercendam gravissimas administrabat, arabarcha erat. Quum vero hic terrarum tractus ab hominibus saepissime frequentatus, Thebaidi maximeque ejus nomo Ombitae situ proximus esset, ejus custodia et Thebaidis epistratego demandabatur et etiam stratego nomi Ombitae. Ideo Claudius Aemilius una se arabarchen et epistrategum Thebaidis in inscriptione Memnonis columnae profitetur, et Apollonius, Ptolemaei arabarchae filius, quum *στρατηγὸς τοῦ Ὀμβείτου — καὶ παραλίαν τῆς Ἐρύθρας θαλάσσης* esset, et ipse arabarcha erat[9]).

G. DE AGORANOMO[1]).

14. Unus denique et facile gravissimus ex iis magistratibus minoribus, qui diversis in eodem nomo administationis partibus praepositi erant, *ἀγορανόμος* obvius est. In nomo Pathyrito hoc munus sic erat psilotoparchis Ptolemaeorum aetate demandatum, ut unus semper ex iis unum mensem *ἀγορανομίαν* administraret[2]). Hunc autem nomorum magistratum etiam a Romanis retentum fuisse, ex unico papyro innotuit, quem satis mancum edidit Saint-Martin[3]). In quo quum hoc saltem perspicere liceat, de mancipii lege sermonem esse, etiam potestatem agoranomi eo tempore eandem ac sub Ptolemaeis fuisse certum fit. Neque tantum, ut Athenis, ordinis pacisque forensis custos erat agoranomus, vel rerum venalium curator taxatorque, sed quodcunque ad vendendum emendumque spectabat, sive agri vendebantur, sive domus, eorum penes eum cura erat et auctoritas. Hinc venditionis emptionisque pactiones eo praesente contrahebantur; si ex mancipii lege non actum erat, lis coram eo instituebatur[4]). Ob jurisdictionem igitur munus admodum grave et adeo dignum habebatur, quod Romani susciperent. Rufillum Nigrum enim Romanum fuisse, nomen arguit.

---

15. Tota haec magistratuum series, quae quia unus semper pluribus superior existebat, militarem aliquem ordinem repraesentabat, ad hanc provinciam re-

9) Vide notam 7. — Possit facile aliquis opinari, arabarchen et alabarchen, literis r et l commutatis easdem voces esse et ideo eadem officia exprimere, ut qui Arabiae Aegyptiacae custodiam haberet, is una vectigalia exigeret de pecoribus quae ex Arabia in Aegyptum adducerentur (vid. Forcellini, Lex. sub voce Arabarcha). At tum non patet quomodo Alexander (vid. supra) alabarcha esse et una Alexandriae habitare potuerit. — Merus autem titulus alabarcha ideo fuisse non potest, quod Josephus de Alexandro dicit: *τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ* (20, 5, 2), quod participium indicat officium cum titulo fuisse conjunctum. cf. in universum de hac voce ejusque incerta et origine et notione Sturz. de Dialecto Macedonica et Alexandrina p. 65 sqq.

1) cf. Peyron. Papyri Gr. I. p. 73 sqq. Boeckh Docum. Nechut. p. 19. 2) Docum. Nech. lin. 4: *ἐπ' Ἀπολλωνίου τοῦ πρὸς τῇ ἀγορανομίᾳ τὸν μῆνα ἐπὶ τῆς ψιλοτοπαρχίας τοῦ Τιαθυρίτου* (*Παθυρίτου*). 3) Journal des Savans 1822 p. 566. Papyrus conscriptus est XVII anno Antonini Pii h. est 154 Christi. initium sic: . . . *Θηβαΐδος ὁ περὶ Ἐλεφαντίνην νόμον, ἐπὶ Ῥουφίλλου Νίγρου ἀγορανόμου ἀπέδοτο.* 4) Vid. quae exempla ex suis papyris congessit Peyron l. l.

gendam eximie instituta ac perducta erat. Quum enim singuli magistratuum ordines neque nimio intervallo essent inter se distenti, et propterea arctiore obedientiae vinculo alter alteri obstricti, efficiebatur, ut universa rerum gubernatio majorem inde anctoritatem et efficaciam nancisceretur, et, id quod in Aegypto prae aliis necessarium erat, ut ea quae a summo rectore imperarentur, accelerato ac certo cursu ad exitum ubique pervenirent. Neque tamen quodque praefecti mandatum, ut innotesceret, necesse erat per omnes magistratuum quasi gradus ex ordine non interrupto decurrere; sed quo brevior via fieret, hunc illumve praeteribat. Praefectus certe non ad epistrategos, quos auctoritate sibi proximos habebat et quasi ministros, sed illis praetermissis statim ad strategos vel imperatoris vel sua ipsius edicta mittere solitus esse videtur, quo celerius puto ad notitiam populi perferrentur. Hoc primum inde concludimus, quod et Posidonius et Demetrius, uterque nomi Oasitae strategus, ab ipso praefecto neque ab epistratego edicta quae in lapidem inciderent, se accepisse scribunt. Si quis autem haec alio converteret, atque contenderet, duas illas Oases non Thebaidi, quam quidem epistrategi custodiae creditam fuisse omni dubitatione careret, sed Heptanomidi esse adnumeratas [1]), et vel in hac sententia perstaret, quamquam contrariam supra probavimus, Heptanomidi nullum epistrategum praepositum, ac propterea in edictis illis nullum nuncupatum esse, vel ex altera parte obtineret, nisi in aliis, tamen in Thebaide omnia praefecti mandata prius epistratego missa et ab eo deinde strategis communicata esse; ei alium quendam Tiberiani edicti locum objicerem, quo Alexander se de certa quadam re scripturum esse ait *singulorum nomorum* strategis [2]): id quod comprobat, epistolarum commercium inter praefectum et strategos per mediam quandam manum exercitari non prorsus necessarinm atque interdum ne ex re quidem fuisse.

Promulgationis formam nobis in hunc modum fingimus, ut praefectum cogitemus de edicto suo tot quot ad singulos nomos mittenda erant, exemplaria descripsisse, cujusque autem fronti epistolam praefixisse, qua strategum edictum publice proponere juberet. Strategus deinde, illa praefecti epistola vel addita — ut in Capitonis — vel omissa — ut in Tiberii edicto — in urbibus nomi sui promulgabat id lapidibus insculpens compositis atque claris literis [3]), proponendi autem potestatem ut testificaretur, prooemii instar pauca praemonebat, quibus hoc edictum, cujus verum exemplar proponeret, a praefecto sibi cum epistola redditum esse lectores faceret certiores. Ceterum dubitamus, num omnia praefectorum edicta, etiamsi tanquam leges toti erant provinciae praescripta, in quaque Aegypti urbe lapidibus insculpta sint. Quod si fuisset, major, opinor, edictorum numerus per saecula ad nos delatus atque etiam a peregrinatoribus inventus esset. Fortasse graviora tantum hac ratione fundata in aeternam memoriam servabantur. Erat autem mos Aegyptiorum, ut edicta in templorum introitu, loco sanctissimo ac frequentissimo, inscriberent (cf. Rudorff. M. Rh. II, 2, p. 154).

---

1) Ptolem. VI, 5. cf. Rudorff. Mus. Rh. II, 1 p. 85. 155. Ed. Capit. p. 9. 2) lin. 48 sqq.: *δι' ὃ γράψω τοῖς κατὰ νομὸν στρατηγοῖς.* 3) Ed. Capit. lin. 12: *σαφέσι καὶ εὐσήμοις γράμμασιν.*

Per se patet, pro regione propinquiore vel remotiore praefectorum edicta vel citius vel lentius ad strategos perlata esse. Quanto autem temporis intervallo ad Oasitam pervenerint, ex duobus edictis in illo nomo etiamnum exstantibus accuratius concludere licet. Quod ut recte a nobis fiat, hunc locum idoneum rati, antea pauca de ea ratione agamus, qua tunc Aegyptii tempora solebant computare; non quod nos nova allaturos esse confidamus, sed quod in hac re Romanorum actas a Ptolemaeorum recedebat.

Ptolemaeis enim Aegyptum tenentibus ex antiquo more annus civilis is erat, qui vulgo vagus dicitur. Qui quum solos 365 dies amplecteretur *sine ullo intercalari*, fiebat, ut et *quadriennium apud eos uno circiter die minus* esset, *quam naturale*, et quadriennio quoque anni principium (h. e. I dies mensis Thoth) uno die prius incideret. Per annos igitur Aegyptios $(4 \times 365) + 1$ h. e. 1461 ad idem initium revolvebatur [4]). Tota autem haec periodus, quae 1461 annos Aegyptios sive 1460 Julianos comprehendebat, annus canicularis appellabatur. — Qua in temporum descriptione veteres Aegyptios, prudentissimos coeli observatores ac de motibus siderum egregie edoctos, effugisse non potest, ipsorum annum civilem quarta diei parte minorem esse, quam is est, qui vere solstitiali orbe circumagitur. Nolebant tamen propter religionem quidquam novare. Julius Caesar autem qui in Aegypto diutius commoratus atque, ut constat, de dimetiendi coeli ratione eruditus hanc doctrinam Romam secum abstulerat, postea Pontifex Maximus creatus, quum annum civilem Romanorum perturbatum videret, Sosigene Alexandrino et M. Flavio auxiliantibus, novum constituit, qui ab ipso nomen duxit anni Juliani, omnique in posterum temporum perturbationi sic cavit, ut quarto quoque anno unum diem intercalari juberet [5]). Qua ex ratione quum res publica magnam utilitatem caperet ac tempora computanda Pontificum arbitrio eriperet certisque ac quae omnibus notae erant, regulis adstringeret; Augustus deinde, Aegypto subacta, illam ad eam ipsam terram, a qua originem traxerat, reduxit. Neque tamen quae erat Romanorum cautio, domesticus Aegyptiorum annus qui ex antiquissimis temporibus in ea terra invaluerat, radicitus exstirpatus peregrino Romano cessit, sed ex anno Aegyptio vago et Juliano novus compositus est, Aegyptius fixus. Atque is annus, qui etiamnum apud Copticos Christianos et Abessynios in usu est, ita institutus erat, ut 1) ejus menses numerum ac nomina Aegyptiorum mensium haberet; 2) ut, quia vagus annus e duodecim mensibus, quoque triginta dierum, et quinque insuper diebus intercalaribus constaret, quarto quoque anno ad hos quinque dies sextus intercalaris accederet: denique 3) ut anni principium sive I Thoth in diem IV ante kalendas Septembres caderet [6]). Jam supra vidimus [7]), senatus consulto imperatum fuisse, ut kalendae Sextiles, quibus Augustus Alexandriam in ditionem acceperat, festae haberentur et inde ab iis nova temporum computandorum ratio initium caperet. Quum vero aliquanto demum post Cleopatra de vita decederet, et annus Aegyptius tunc eodem mense (pridie kalendas Septembres) ad finem properaret, commodius visum est, Augusto haud dubie permittente, cum

4) Censorinus de die nat. c. 21. Ideler Compend. Chronolog. I. p. 126 sqq. 5) Ideler l. c. I. p. 140. II. p. 117 sqq. 6) idem I. p. 140 sqq. 7) p. 8, 3.

novo anno vago etiam novae illius aerae initium fieri. Mirum tamen est, quod posteriore tempore primus incipientis anni fixi dies non in diem pridie kalend. Sept. redibat sed biduo ante incidebat. At inde concludere non licere, quinquennio demum post, quum Aegyptus in provinciae formam esset redacta et I Thoth vagi anni in IV diem ante kalend. Sept. incideret, novam epocham Alexandrinam inductam, sed ejus rei causam a vitiosa fastorum Julianorum intercalatione, quae per aliquot annos obtinebat, repetendam esse, felicissima ac sagacissima conjectura Idelerus demonstravit. Hoc tu melius apud eum ipsum leges [8]). Nobis sat est annotasse, annum illum fixum, quem Aegypto-Julianum diceres, a praefecto et reliquis magistratibus ad tempora describenda in rebus publicis ubique adhibitum esse ac retentum, ita ut revera esset provinciae Romanae annus civilis. Id non tantum e nummis apparet, qui secundum eum enumerant imperatorum annos, verum etiam ex edicto Tiberii Alexandri certo constat [9]). Quapropter nunc redimus unde deflevimus, ut ex hac annorum descriptione computemus, quantum temporis spatium inter data illa edicta et proposita intercesserit. Atque Tiberius quidem in edicto suo diem adscripsit XII mensis Epiphi, primi anni Galbae imperatoris. Is est dies pridie nonas Julias anni 68 post Chr n. [10]). Demetrius autem strategus promulgavit decretum I die Phaophi secundi Galbae anni, h. est ante diem quartum kalendas Octobres ejusdem anni 68 p. Chr. Inter utrumque igitur tempus octoginta quatuor dierum spatium interest. Capitonis literae ad Posidonium strategum perlatae sunt die VII mensis Mecheir, noni Claudii imperatoris anni, h. e. ipsis kalendis Februariis 49 p. Chr. n. Quo die autem Capito miserit, clare perspici non potest. In lapide se legisse asseverant peregrinatores ωαχ. τα. Inde Rudorffius (p. 16) tentavit χοιαχ. ῑα. Qui dies quum sit sextus ante Idus Decembres anni 48 p. Chr. n., cum altero optime quadrat. Inter confectum igitur edictum et promulgatum quinquaginta quatuor dies interjecti sunt.

16. Quum haec de magistratibus disputaverimus, ad eam quaestionem redimus, quam supra jam tetigimus, sed paucissimis absolvimus, num etiam populo aliqua reipublicae administrandae pars, num conciones fuerint concessae, quibus sua vota ferret. Negamus tamen conciones populi in singulis nomis tales institutas fuisse, quae certo quodam ordine redirent, quum praesertim populum ipsum suos sibi toparchas vel strategos creasse, non omni dubitatione careat [1]). — Sed etiam si conciones nullae erant, quibus aliqua auctoritas a re publica concessa esset, tamen singularum urbium vicorumque incolae collecti, si quid ad ipsos tantum spectabat, praefecto nec imperante nec impediente, ex sua ipsorum voluntate poterant consilia capere et persequi, quae Romanorum institutis non refragarentur. Busiritae certe et alii qui iis vicini erant, decreverunt columnam in Neronis honorem erigendam [2]), et ex Cyseos incolis ii, qui nomina sua subscripserant, ut suam erga Nervam reverentiam ostenderent, pylonem aedificarunt [3]).

8) Compend. Chronol. I. p. 160 sqq. 9) Rudorff. Mus. Rh. II, 1 p. 68. Ideler l. c. p. 145. 10) cf Rudorff. l. c. p. 69. Ideler l. c. p. 146.

1) p. 36 sqq. 2) Letronne Rech. p. 392. 398. 3) idem p. 230. 235.

Caput III.

DE TRIBUS URBIBUS, QUIBUS PROPRIA QUAEDAM REIPUBLICAE FORMA ERAT.

1. Ei quam modo descripsimus nomorum administrationi exemptae erant tres urbes, quae medios inter nomos sitae non strategis, sed juxta eos uni praefecto parebant: Alexandria in provincia Delta, Antinoë sive Antinoopolis in Heptanomide, Ptolemais in Thebaide sita. Quae quum originem suam non ad pristina illa antiquitatis tempora referrent, sed ab externis qui Aegyptum sibi subjecerant regibus recentiore aetate conditae, peregrinis et maxime quidem Graecis, quorum jam magnus tunc in Aegyptum confluxus fiebat, habitandae traderentur, etiam peregrinam et ab Aegyptiis moribus alienam habebant rerum suarum administrationem. Ita enim efficiebatur, ut id quod Ptolemaei assequi studebant, cui nec Romani obversabantur, hae potissimum urbes Graecae disciplinae literarumque Graecarum quasi seminaria in Aegypto existerent.

I. DE ALEXANDRIA [1]).

2. Ex tribus his urbibus primo loco commemoranda est Alexandria, caput provinciae, imperii sedes, quae prae aliis ἡ πόλις appellabatur, ut incolae πολῖται [2]). Quum enim a Ptolemaeis esset splendidissimis aedificiis ornata, non tantum inter omnes Aegypti urbes magnitudine, splendore, divitiis longe eminebat, verum in toto terrarum orbe secundum post Romam locum tenebat omniumque civitatum vertex erat [3]). Commercio et artibus sic florebat, ut Diodori aetate trecenta millia hominum, servis haud dubie exceptis, aleret [4]). Sub Romanis quum commercium, unde totius urbis res prosperae dependebant, multa ac gravia incrementa caperet [5]), hunc incolarum numerum, est verisimilius auctum esse quam diminutum. Maximum enim tunc ac frequentissimum erat totius orbis terrarum emporium [6]). Etiam situs urbis ac coeli temperies summopere laudatur. Quamquam enim ex una parte ad mare, ex altera ad lacum Mareoticum erat condita, quum tamen incipiente aestate novis semper aquis a Nilo increscente suppeditatis impleretur lacus, non ut aliae urbes in palustribus laeuum litoribus sitae, exhalatis vaporibus gravatoque aëri mortifero obnoxia erat, gaudebat potius vel mediis in aestatis ardoribus grato quodam coeli temperamento etesiarum flatibus effecto [7]).

Hae igitur naturae locique opportunitate egregie adjuta Alexandria et inter prima statim initia ad latos ambitus extensa [8]), diversissimas semper moenibus suis gentes continebat. Quum Polybius sub Physcone urbem viseret, statum ejus miserrimum fuisse scribit. Tria tamen ait [9]) incolarum genera esse, unum Aegy-

1) Rudorff. Mus. Rh. II, 1, 39. p. 81—84. 2) Steph. Byz. sub voce. Rudorff. Ed. Capit. p. 11. 3) Amm. Marcell. 22, 16, 7 Dio Chrys. p. 372: ἡ γὰρ πόλις ὑμῶν τῷ μεγέθει καὶ τόπῳ πλεῖστον ὅσον διαφέρει τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον. cf. Klippel Mus. Alex. p. 31. 4) 17, 58. 1, 50. 5) Strabo p. 798. 6) Strabo ibidem: ὅπερ μέγιστον ἐμπορεῖον τῆς οἰκουμένης ἐστί. 7) Strabo p. 793. cf. p. 214. et de Schmidt opuscula 1. 135. 8) Amm. Marcell. 22, 16, 15. 9) Polyb. 34, 14, 1. Strabo p. 797.

ptiorum indigenarum, qui Rhacotin vicum aliquando habitaverant, postea eodem murorum ambitu cum urbe conjuncti erant, alterum mercenariorum [10]), tertium denique Alexandrinorum, mixtam quidem multitudinem, quae tamen Graeca origine usa mores Graecos retineret. Sub Romanis urbis flos eximie auctus est; et aliam rationem sequuti nos quatuor incolarum classes discernimus, quarum prima classis A) eorum est, qui Alexandrinam civitatem habebant. Altera B) eorum, quibus quasi *μετοίκοις* beneficio ibi habitare concessum erat. Tertia classis C) militum Romanorum. Quarta denique D) servorum est.

A. Cives Alexandrinos denuo in duas partes dividimus [11]). a) unum genus erat Aegyptiorum Graecorumque, quos ut sensim putemus inter se commixtos in unam nationem Graeco-Aegyptiacam coaluisse hae causae impellunt. Ab initio nulli omnino Aegyptii Alexandriae habitabant. Quum paulo post urbs supra Rhacotin amplificaretur [12]), qui pauci hujus regionis incolae Aegyptii inter cives recipiebantur, consuetudine cum Graecis perpetua Graecos mores elegantiores adoptabant et cum suis componebant. Deinde Strabo scribit [13]) eos Alexandrinos, qui a Graecis originem traxerant et Graecorum morum memores, meri Graeci remanserant, maxime Ptolemaei Physconis culpa evanuisse (cf. Justin. 38, 8). Quod si verum, in eorum locum existimamus mixtum aliquod et a veris Graecis paullulo degeneratum hominum genus successisse. Denique si Aegyptii Alexandriae habitantes propriam aliquam et ab aliis separatam civitatis partem explevissent, mirum esset, quod peculiares eorum magistratus nulli usquam commemorantur; sin vero iisdem cum Graecis usi sunt magistratibus, huic civili quo conjuncti erant vinculo diversitas gentilicia cessit. b) Judaei, qui quoniam totam urbis regionem habitasse dicuntur, quamquam etiam in reliquis non pauci vivebant (cf. Philon. adv. Flacc. p. 973), ideoque eorum numerus haud exiguus esse poterat, sane miramur, quod a Polybio commemorantur. Sed etiam Strabonem eorum nullam mentionem injecisse Rudorffio non concedimus [14]). Nam in Geographia quidem de iis non dixit, sed dixerat in *ὑπομνημάτων ἱστορικῶν* libro, cujus fragmentum, quod ad Judaeos spectat, apud Josephum [15]) exstat. Judaei quum jam ab Alexandro Magno una cum Macedonibus urbis incolae constituti eadem cum his civitatis jura accepissent [16]), quo ab aliis in Aegypto Judaeis distinguerentur, Alexandrini vocabantur [17]). Vivebant enim ut cives Alexandrini meliore et honestiore, ut videbatur, conditione. Nihilominus ob morum institutorumque diversitatem in reliquorum civium invidiam incurrebant, ut adeo saepius eorum civitatis jus sollicitaretur, in controversiam vocaretur, eriperetur. Julius demum Caesar ut favorem suum erga Judaeos Alexandrinos ostenderet, columnam aeneam posuit eaque

10) cf. Strabo p. 792. 11) Sequimur enim Philonem advers. Flaccum p. 971: *καὶ ἡ πόλις οἰκήτορας ἔχει διττούς ἡμᾶς τε καὶ τούτους καὶ πᾶσα Αἴγυπτος.* vide supra p. 21, 3. 12) cf. Mannert. Geogr. Tom. X. Pars I. p. 619. 13) Strabo p. 797. 798: *καὶ γὰρ οἱ μιγάδες Ἕλληνες ὅμως ἀνέκαθεν ἦσαν καὶ ἐμέμνηντο τοῦ κοινοῦ τῶν Ἑλλήνων ἔθους. ἠφανισμένου δὲ καὶ τούτου τοῦ πλήθους μάλιστα ὑπὸ τοῦ Εὐεργέτου τοῦ Φύσκωνος* etc. 14) l. c. p. 183. 15) Ant. Jud. 14, 7, 2. cf. Groskurdt Tom. I. p. XXI. et p. 21, 2. 16) Joseph. contr. Apion. 2, 4. 17) cf. Joseph. l. l. et Ant. Jud. 19, 5, 2: *οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαῖοι, Ἀλεξανδρεῖς λεγόμενοι.*

Alexandrinam eorum civitatem insculpsit[18]), ut ipsis in posterum intacta ac integra esset: praeterea alia jura concessit[19]), quae omnia etiam ab Augusto, quum novam in Aegypto administrationis formam constitueret, inviolata atque servata sunt[20]). Nihilominus etiam postea saepe vexabantur. vid. supra p. 20.

B. Ab his pleno civitatis jure fruentibus distinguendi sunt, qui homines ejus expertes Alexandriae degebant. His primum adnumeramus Romanos, quibus adire Aegyptum licebat, quique omnes ipsi praefecto et juridico subditi erant. Deinde eos Aegyptios qui ruris incolae erant, sed ἐν τῇ πόλει φιλεργίᾳ habitabant[21]) et indigenis civibus Alexandrinis opponebantur, tanquam μέτοιχοι. Qui num omnes solis Romanis magistratibus, an si Graeci erant Aegyptiive, Alexandrinis, sin vero Judaei, horum ethnarchae fuerint subditi, non liquet, quamquam hoc quam illud probabilius est. Melius enim opinor peregrini, si fieri poterat, magistratibus ejusdem nationis aggregabantur, ut cuique civium Alexandrinorum generi sui μέτοιχοι accederent. His denique addimus peregrinos diversissimarum nationum, qui ex aliis terris profecti mercaturae causa Alexandriae per tempus vel longius vel brevius commorabantur. Profecto eorum numerus non exiguus erat.

C. Milites Romani qui, ut urbem in ditione tenerent, in mercenariorum sub Ptolemaeis Alexandriae degentium locum successerant[22]).

D. Servi. De his nihil certius constat. Si verum est, quod Meinertius arbitratur[23]), in urbe quae mercatura tantopere floreret, numerum servorum liberis incolis parem statuere licere, versus tria centena millia erant. Omnium autem incolarum numerum si quaeris, dubium esse non potest, quin sex centena millia longe excesserit.

2. Quanta tamen erat urbis magnitudo, quantus splendor, ita pessime morata civitas[1]). Quamquam enim iis quae de populo Aegyptio in universum narrata supra congessimus, multum abest, ut scriptores Alexandrinos exemerint, ut de his maxime ad imaginem morum Aegyptiorum depingendam colores videantur duxisse, pauca tamen peculiaria de iis narrantur, quae hic nolumus omittere. Quum enim urbs illa tanta diversissimarum gentium multitudine esset impleta, ut universus oriens ibi videretur sese cum occidente miscere, quum artes ad tantum fastigium evectae essent, ut maxime eae res quae ad vitae commoditatem pertinebant, magna copia et eximia pulchritudine conficerentur, nec denique deessent divitiae, quibus omnes sibi vitae dulcedines ac voluptates facili negotio pararent, fieri profecto non poterat, quin morum strenuitas, si quae fuerat, sensim pessumdari, et luxuria quaedam effeminata ubique irrepere ac grassari inciperet. Per omnem terrarum orbem infamata erat atque in proverbium abierat prodigiosa Alexandrinorum luxuries, neque ipsi Canopo cedere dicebatur[2]). At nimirum et earum quibus ibi indulgebatur, voluptatum Alexandrini erant participes. Magnam enim hi homines delectationem in eo quaerebant, ut rusticationes facerent, loca quaedam

18) Joseph. Ant. Jud. 14, 10, 1. 19) Ed. contr. Apion. 2, 4. 20) Joseph. Ant. Jud. 19, 5, 2. 21) Edict. Tib. Alex. l. 33. Rudorff. Mus. Rh. II, 2 p. 180. 22) Strabo p. 797. §. 12. 23) Geographia antiq. Tom. X. Pars I. p. 629.

1) Epistol. Hadriani apud Vopisc. in Sat. 8. cf. Caes. de bello civili 3, 110. Dio Chrysost. Orat. 32. 2) Juvenal. 6, 83. 84. cum Heinrichii nota II. p. 231.

amoenitate sua pellicientia peterent, ibique omnibus laetitiis libidinibusque exsultarent. Duplex eorum luxuriae quasi via patebat. Una e porta Canopica per Eleusin ducebat Canopum. Ne quid tamen delectamenti in ipso itinere deesset, jam Eleusis Canopicae luxuriae initium faciens et quasi gustum praebens, multas villas diaetasque habebat in comissantium gratiam exstructas [3]). Tum vero maxime Canopi, quae urbs 120 stadia ab Alexandria aberat, peregrinatores turbam admirabantur Alexandrinorum, virorum feminarumque, qui interdiu noctuque per fossam eo denavigabant, vel in naviculis suis summa cum lascivia ludentes saltantesque. Excipiebant eos diversoria fossae oris imposita [4]). Ex altera regione occidentem versus Toposirin Magnam frequentabant, cujus in vicinitate prope mare situs erat locus quidam saxis insignis et amoenus, qui per totum annum luxuriantium conventus excipiebat [5]). Atque hac quidem luxuria quo magis mores corrumpebantur, animique enervabantur [6]), eo immoderatiores ira, crudelitas, aliae libidines fiebant, quibus impulsi in bellis magis temeraria omnia et insana tentabant, quam fortiter resistebant. In seditiones autem proni ac vitam nihili facientes nullum periculum reformidabant, nullam caedendi satietatem inveniebant [7]).

Jam quod ita moratam ac sub ultimis maxime Lagidis rempublicam male gerentibus pessumdatam civitatem in potestatem Romani accipiebant [8]), et metuendum erat, ne Romanum in Aegypto imperium tanta morum corruptela ac novandi studio in periculum adduceretur, caute et callide egit Augustus, quod, veritus ne seditiosi Alexandrini in publico aliquo consilio fautores ducesque invenirent [9]), neque quemquam ex Alexandrinis Romae in senatum legi posse sanxit, neque, ut aliis urbibus, sic etiam Alexandriae senatum ex ipsius urbis civibus delectum concessit, sed Romano praefecto ipsi unicam et maximam in res urbanas regendas auctoritatem tribuit. Quae quidem Augusti instituta prudentissima non sine magno fructu per ea tempora, intra quorum fines nostra haec commentatio se continet, observata sunt. Septimius demum Alexander huic urbi jus curiae dedit, et paulo post etiam in Romanum senatum recepti sunt Alexandrini [10]). Hinc ab his deinde temporibus ea, quam Augustus Aegypto dederat, provinciae forma magis magisque incipiebat praeceps ferri ac dissolvi. — Praeterea ad effrenandum turbulentum Alexandriae vulgus, hac in urbe tota legio collocata erat cum tribus Romanorum manipulis [11]). Ideoque Romani praefecti meliore conditione regebant, quam Ptolemaei, qui mercenarios conductos alebant, refractarios milites et imperare quam parere malentes [12]).

Quamvis autem Alexandriae cives maximam partem Graeca lingua loquerentur moresque Graecos haberent, tamen de Graeca aliqua reipublicae forma omnino non cogitandum. Praeterquam enim quod nullus senatus (βουλή) rebus administrandis praeerat, etiam conciones totius populi certo quodam ordine ac consilio

3) Strabo p. 800. §. 16. *διαίτας ἔχουσα καὶ ἀπόψεις* (Belvederes) *τοῖς καπορίζειν βουλομένοις.* 4) Strabo p. 801. 5) Strabo p. 799. 6) Valer. Max. 9, 1. 7) Cass. Dio 39, 58. cf. 50, 24. Auct. bell. Alexand. 7 et 24. 8) Strabo p. 797. 9) Cass. Dio 51, 17. *τοῖς δὲ Ἀλεξανδρεῦσιν ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσεν. τοσαύτην που νεωτεροποιΐαν αὐτῶν κατέγνω.* 10) Cass. Dio l. l. Spartian. in Severo c. 17. 11) Strabo p. 797. 12) Strabo ibidem. Caes. bell. civil. 3, 110.

redeuntes vel legitime convocatae aberant omnes. Josephus vero quos *ἐκκλησιασμοὺς* commemorat [13]), eos contra leges factos seditionis magis speciem prae se ferre, recte contendit Rudorffius [14]). Adeo ne eos quidem qui Alexandriae fuisse traduntur magistratus ab ipsa civitate putaverim creatos esse; sed electi potius a praefecto sunt, qui quum ibi habitaret, praesens semper ex sua voluntate constituere urbem poterat. Nam tum demum, si nulla prorsus Alexandrinis voluntas atque auctoritas relicta erat, praeceps illa morum pravitas innocua reddebatur. Ceterum apparet vel praefectum neminem potuisse ad aliquem magistratum urbanum promovere, nisi qui Alexandriae indigena esset vel certe in civitatem Alexandrinam receptus [15]).

3. Magistratus ipsi diversi erant ex earum quae urbem incolebant gentium diversitate. Graeci et Judaei suos utrique habebant. Qui ad illos pertinebant, Strabo quatuor nominat [1]). *a*) Ἐξηγητής, quem omnium summum fuisse, et nomen ipsum arguit et inde elucet, quod is solus purpura cinctus patriisque honoribus ornatus incedebat, et quod a Strabone primo loco nominatur [2]). Ei cura erat omnium rerum urbis utilitati inservientium [3]), ut annonae, aquae, aedificiorum publicorum, publici denique ordinis. *b*) Ex aliqua parte, nimirum ut urbis pacem custodiret, vicem ejus noctu sustinebat *ὁ νυκτερινὸς στρατηγός*, qui cum praefecto vigilum Romano similitudinem habet. *c* et *d*) Duo magistratus, quibus jurisdictio curae erat de civibus Alexandrinis exercenda. Unus *ὑπομνηματογράφος*, qui litem instruebat et aestimabat, rerum factarum dictarumque memorabilia conscribebat, certantium orationes ordinabat, judicis sententiam quam accuratissime servabat et litigantium partibus publicabat [4]). Alter *ἀρχιδικαστής*, quod munus quoniam aliquam legum, institutorum, consuetudinum, requirebat notitiam, si quid ex inscriptione aliqua concludere licet [5]), quasi hereditate videtur accepta traditaque esse. Quod propterea non mirum est, quia etiam aliae in Aegypto literae et artes ex antiquo more a certis familiis vel certo quodam hominum ordine prae aliis colebantur. — Ceterum quum *ἀ ρ χ ι δικαστής* audiat, nomen ipsum flagitat ut alios judices quorum corona in judiciis cinctus erat, ei additos fuisse statuamus [6]). Judaei contra et ipsi suos habebant magistratus, quorum summus ethnarcha erat, de quo supra diximus. Omnibus autem praeerant Romani magistratus, qui externas urbis res curabant et eas quae ad totam civitatem pertinebant [7]).

---

13) Bell. Jud. 2, 18. alias 14) Mus. Rh. II, 1. p. 82. 15) Strabo p. 797. §. 12. *ἐπιχώριοι ἄρχοντες.*

1) Strabo ibid. 2) Strabo ibid. 3) Strabo ibid.: *ἔχων — ἐπιμέλειαν τῶν ἐν τῇ πόλει χρησίμων.* 4) Haec omnia secund. Lucianum Apol. de merced. cond. c. 11. 12. 5) In Memnonis columna *Γάϊος Ἰούλιος Διόνυσος ἀρχιδικαστής, Θέωνος ἀρχιδικαστοῦ υἱὸς καὶ πατήρ* cf. Letronne La Statue vocale p. 181. 6) Ita accipio etiam apud Lucian l. c.: *αἱ τ ο ῦ ἄ ρ χ ο ν τ ο ς γνώσεις*, scilicet ejus, qui judicibus praesidet eorumque sententias singulas quasi una sua comprehendit. His quae secundum Strabonem disputavimus, non repugnat, quod Spart. in Severo c. 17 habet: *Deinde* (*Severus*) *Alexandrinis jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub regibus, ante vivebant uno judice contenti quem Caesar dedisset.* Nam judex ille unus est *δικαιοδότης*, juridicus Alexandriae, qui hoc loco curiae opponitur, et cujus de officiis infra loquemur. 7) cf. Rudorff. Mus. Rh. l. c. p. 84.

4. Ita constituta urbs opulentia sua ac pulchritudine sic se in imperatorum gratiam insinuabat, ut nemo accederet, quin cuncta ei tribueret, abolita privilegia redderet, nova adderet [1]). Hinc Alexandria prae tota Aegypto magna beneficiorum copia gandebat, quae num violarentur nec ne, non perinde erat ad urbis florem servandum augendumque [2]). Inter haec privilegia etiam hoc erat, ut neque civis Alexandrinus neque is, cui beneficio ibi permissum erat domicilium, deberent ad ulla officia, quae ipsis aliena et dehonesta esse viderentur, suscipienda vi adduci. Certe quisque Alexandriae indigena ruralia munera publica [3]) detrectandi jus habebat, ut in aggeribus et fossis operari, vectigalia ducere, toparcha strategusve fieri vi cogi non posset [4]). Ob haec omnia Alexandrini sese supra alios Aegyptios elatos putabant, et invidiosum videbatur, Alexandriae civem nominari. Hinc ne Romani quidem cives qui in urbe vivebant, ideo civitatis Alexandrinae participes erant, quam aliis tribuere propter ejus gravitatem solis imperatoribus licebat. Atque etiam illi secundum principum institutionem non temere dabant et quasi profundebant [5]). Romana quidem civitas pluris aestimabatur, ut quicunque ex Aegyptiis hanc assequi vellet, is antea Alexandrinam civitatem adeptus esse deberet [6]). Quoniam autem haec tam parce ab imperatoribus tribuebatur, inde fiebat, ut paucissimi Aegyptii civitatem Romanam acquirerent. Id quod consiliis Augusti optime conveniebat.

II. DE ANTINOE SIVE ANTINOOPOLI [1]).

5. Quum Hadrianus imperator Antinoopolin in aeternam amasii sui memoriam condidisset et novam hanc urbem solis Graecis tradidisset habitandam, qui inde *νέοι* Ἕλληνες, novi Graeci, vocabantur [2]), etiam Graecam et ab aliis Aegypti urbibus diversam reipublicae formam constituit. Quod si Ptolemaeus de nomo Antinoïta et de metropoli ejus Antinoopoli loquitur [3]), nonnisi topographicam rationem sequutus, nullum administrationis respectum habuit. Nomarcham enim nullum Antinoitae fuisse praepositum, recte inde concluditur, quod in inscriptione ibi reperta praefectus quidem et epistrategus, Romani in Aegypto magistratus, neque tamen strategus commemoratur [4]). Ejus locum senatus (ἡ βουλή) tenebat [5]). In eadem inscriptione etiam φυλὴ Ἀθηναΐς e certissima Letronnii restitutione nominatur, et Aurelius Origenes quidam prytanis [6]). Quod si secun-

1) Philo advers. Flaccum p. 968. *ἡ πόλις Ἀλεξανδρέων —, ἣν τετίμηκεν μὲν ἐξ ἀρχῆς ἅπας ὁ Σεβαστὸς οἶκος, διαφερόντως δ' ὁ νῦν ἡμῶν δεσπότης.* Hadrian. de se ipso apud Vopisc. in Saturn. 8. De *Severo* Spart. 17. cf. Joseph. cont. Apion. 2, 4. 2) Ed. Tib. Alex. lin. 4. Rudorff. p. 158. 3) *Λειτουργίαι χωρικαί.* 4) Edict. Tib. Alex. lin. 33—36. Rudorff. p. 180. 5) Plin. epist. 10, 5 et 23. 6) Plin. ibid. 10, 22.

1) Letronne Recherch. p. 281—296. 2) Inscriptiones apud Letronnium l. c. p. 281. lin. 10. et p. 294. Una ex iis est in honorem Aristidis Rhetoris. 3) IV, 5. 4) Apud Letronnium p. 281. lin. 8 et 9. 5) ibid. lin. 10: *ἡ Ἀντινοέων βουλή.* Altera inscriptio in Aristidis honorem (Letr. p. 294): *ἡ βουλὴ ἡ Ἀντινοέων.* 6) *Πρυτανεύοντος Αὐρηλίου Ὠριγένους τοῦ καὶ Ἀπολλωνίου βουλευτοῦ, γυμνασιάρχου, καὶ ἐπὶ τῶν στεμμάτων, καὶ, ὡς χρηματίζει, τῆς φυλῆς Ἀθηναΐδος* ex Letronnii restitutione l. c. p. 290. Etiam in inscriptione apud Letr. p. 483 Apollonius Soter quidam se ipse profitetur *βουλευτήν.* Quem quum nomen prodat non Romanum senatorem fuisse, quum Alexandria

dum pauca haec vestigia ad totam reipublicae formam, quam Graecam fuisse inde certum fit, accuratius aliquid concludere licet, civitatem putamus ex *φυλαῖς* constitisse, quarum quaeque eos qui vel ipsi vel quorum parentes una eademque patria usi in Aegyptum convenerant, amplecteretur; ex quaque deinde fraternitate non sorte sed, ut verisimile, creatione certum aliquem senatorum numerum electum, ex senatoribus denique unum prytanem constitutum fuisse, qui et in senatu praesideret et magistratus eponymus esset [7]. Num autem quotannis ex quaque fraternitate unus senator per certum aliquod tempus *πρυτανείαν* exercuerit, an aliquis, cujuscunque fraternitatis erat, ab senatoribus sit prytanis in totum annum creatus, non liquet; hoc tamen memoratu dignum est, quod in illo documento non, quemadmodum Athenis, *φυλὴ* ipsa *πρυτανεύειν* dicitur. Praeterea ne quis inde, quod Origenes ille prytanis una senator appellatur, colligat, alios prytanes e senatorum numero non fuisse, atque propterea omnes non a senatu ipso, sed a civibus creatos esse. Quod enim alias saepe vidimus, erat Aegyptiis oblectamento, titulos in aliquem acervatim frequentare.

Senatus autem easdem res curabat, quae alias strategis obveniebant, et eadem ratione, ut illi, epistratego et praefecto parebat. — Etiam Romanos Antinoopoli habitasse, non negaverim; qui tamen ex iis civitatem urbis habebant, eorum numerus non ita magnus fuisse potest, ut eandem cum Graecis reipublicae formam Graecam habere noluissent. Id quod ob Jomardum noto [8].

III. DE PTOLEMAIDE.

6. Romanorum aetate haec urbs omnium Thebaidis maxima erat nec ipsi Memphidi magnitudine cedebat [1]. Eam conditam esse constat a Ptolemaeo Sotere [2]. Hinc non tantum ejus tanquam urbis herois, verum totius regiae familiae deinde ibi cultus erat [3]. Qui cultus num urbi remanserit etiam sub Romanis, est quod dubites; quam tamen Graecam reipublicae formam una acceperat, eam certum est Romanorum temporibus servatam esse [4]. — Ptolemaeus quidem Geographus Thinitam nomum habet et metroplin ejus Hermii Ptolemaidem. Ne quis tamen inde concludat, propriam rerum suarum administrationem tunc urbi ereptam fuisse. Nam nisi res se habet, velut Antinoopoli, ut Ptolemaeus sub nomo territorium urbis intellexerit, etiam non necessarium est, ut totum nomum ipsi

---

autem eo tempore quo exarata est inscriptio (23 d. Mart. 141 p. Chr.) curiam nondum habuerit, Antinoae tantum vel Ptolemaide potest senator fuisse.

7) cf. in universum Letronne l. c. p. 290. 8) Si incolae omnes fere Romani fuissent, ut Jomard opinatur (d'Antinoé p. 4), tum mirum quod senatus non Romanorum sed *νέων Ἑλλήνων* dicebatur, sin vero suos peculiares habuissent magistratus, mirum est, quod honoris in imperatorem ipsorum conferendi non participes erant. cf. Letronne p. 294.

1) Strabo p. 813. *Ἔπειτα Πτολεμαϊκὴ πόλις, μεγίστη τῶν ἐν τῇ Θηβαΐδι καὶ οὐκ ἐλάττων Μέμφεως.* cf. Plin. n. h. 5, 9. 2) Quod Boeckhius V. Cl. aliquando suspicatus erat, certum fit inscriptione, quam de Philis reportavit Parthey. De Philis insula p. 52. 53. 3) Document. Nech. lin. 4. cum doctissima Boeckhii explicatione p. 16. 4) Strabo p. 813: *ἔχουσα καὶ σύστημα πολιτικὸν ἐν τῷ Ἑλληνικῷ τρόπῳ.*

urbi addictum ac proprium fuisse statuamus, quum praesertim nomus ne nomen quidem ab urbe duxerit. Fortasse metropolis nomi dicta est, quia maxima ejus urbs erat, et strategus nomi ibi habitabat neque tamen quidquam auctoritatis in res urbis administrandas exercebat. — Accuratiora quaedam de reipublicae forma ipsa frustra quaesivi.

---

7. Erravit Mannertius, quum scriberet (Geogr. ant. Tom. X. Part. I. p. 381.) etiam Coptum in Thebaide sitam Graeca ratione institutam fuisse. Hujus enim incolae ex Aegyptiis et Arabibus mixti erant. De Graecis in ea urbe habitantibus nihil narratur. (Strabo p. 815. cf. eundem Mannert. l. c. p. 364).

Caput IV.

DE JURISDICTIONE.

1. De nulla parte administrationis provincialis primis Romani in Aegypto imperii temporibus pauciora et minus accurata memoriae prodita inveni, quam de iis quae ad jurisdictionem eaque quae huic exercendae praeposita erant, collegia pertinent. Quod eo magis dolendum, quum nihil magis arbitramur Romanorum aetate immutatum moribusque Romanis adaptatum esse. Solebant enim suam juris disciplinam ad provincias transferre. Quoniam igitur omnis fere haec quaestio in conjecturando versatur, id puto efficiendum esse, ut appareat, quomodo vulgaris et in aliis provinciis consueta Romanorum juris dicendi ratio cum ea, quam in Aegypto domesticam inveniebant, sic potuerit componi, ut et illa induceretur et hujus paucissima commutarentur. Sub Ptolemaeis enim qualis fuerit, luculentiorem nobis notitiam maxime Cholchytarum papyri suppeditaverunt. In quoque nimirum nomo unus erat quasi praetor rebus judiciariis praefectus, cui nomen ἐπιστάτης est. Ei, ut assessores (οἱ παρόντες) diversi ordinis judices additi erant, qui certe numerum septem excedebant. Huic judicum collegio vel privatus quisque ipse statim causas proponebat dijudicandas, vel strategus nomi, si quae ad eum deferebantur, quae judiciali tantum actione dirimi poterant, ad id ablegabat. Libellos deinde praetor judicibus recitabat; orationibus patrocinantium auditis, rationes utriusque partis disceptabat cum judicibus et ponderabat, sententias deinde datas literis mandabat publicabatque, rationibus arbitrii additis [1]. Praeter hoc vel quod verisimilius super hoc collegium, ut appellationis curia esset, institutum erat Chrematistarum tribunal, quod non ad singulos nomos, sed ad epistrategiam pertinebat, neque fixam suam aliquo loco sedem habebat, sed quo commodius esset incolis litem instruere, universam provinciam peragrabat. Tanquam praeses ei erat, qui εἰσαγωγεύς dicitur. Utque quisque posset apud hoc judicium quamque causam libere et expedite instituere, vas publice exponebatur,

1) Peyron papyri Tur. p. 72. 73.

in quod libellos conjicerent. Ceterum de rebus tantum gravioribus videtur judicasse [2]).

Jam quum Augustus equitem Romanum Aegypto praeficeret, proconsulare imperium ei dedit, ac lege apud eum agi jussit [3]), h. e. jurisdictionis potestatem legitime tribuit. Ut igitur in aliis provinciis, quae ad jurisdictionem ex ordine exercendam in conventus dividebantur, rectores hiberno maxime tempore provinciam lustrabant juris dicendi causa, ante tamen publicabant, quando in hunc illumve conventum essent venturi, eodem modo in Aegypto factum esse, vel inde probabile fit, quod saepissime praefecti itinera suscipiebant ab Alexandria in superiores provinciae partes facienda [4]). Accedit Philonis testimonium, qui praefecto praeter alia negotia etiam jurisdictionem et in rebus quidem gravioribus fuisse diserte pronuntiat [5]). Attamen aliarum provinciarum administratores non ipsi semper judiciis intererant, sed saepius ea habenda quaestori legatisque permittebant. Aegypti autem praefecto quandoquidem nulli erant legati ab Augusto concessi, eorum vicem, opinor, aliquatenus explebat et in jure dicendo auxilium ferebat is, quem Strabo *δικαιοδότην* nuncupatum praefecto additum et subditum fuisse dicit [6]).

Quem ad Alexandriam tantum pertinuisse, facile aliquis inde colligere potest, quod Spartianus in Severo scribit Alexandrinos sine publico consilio, ita ut sub regibus, contentos vixisse uno judice quem Caesar dedisset [7]), ut hunc judicem, *δικαιοδότην* Strabonis et juridicum Alexandriae in Digestis et in Codice commemoratum [8]) eundem fuisse magistratum non illepide statuatur. Nos quamquam in tanta urbe tantaque incolarum diversitate Alexandriae longe plurima putamus juridico negotia exhibita esse, quominus tamen munus ejus prioribus saltem imperatorum saeculis non item supra universam Aegyptum extensum fuisse credamus, Strabo impedit, qui juridici eo loco mentionem fecit, quo de magistratibus egit toti provinciae praepositis. Quod si potestas ejus intra moenia Alexandriae fuisset inclusa, Strabo, qua est in rebus hujus provinciae describendis diligentia, sine dubio indicasset. Denique praefecto subditus fuisse propterea dicitur, quod ejus nomine et ab eo missus per provinciam jus dicebat, ut legati alibi. Habebat autem plurimas causas dijudicandi facultatem [9]). Quae ratio num posterioribus temporibus immutata sit, an *δικαιοδότης*, quum praecipuam sedem suam Alexandriae haberet, Alexandrini juridici titulo ornatus sit, res tamen eadem manserit, non ad me pertinet decernere.

2. Quum vero *δικαιοδότης* plerasque causas dijudicandi potestatem habuisse dicatur, erant quae ejus dictioni eximerentur. Tum de his qui sententiam fer-

---

2) Peyron. l. c. p. 94—101. 3) Tacit. Ann. 12, 60. L. 1. libr. I. Digest. Tit. 37. 4) vid. supra p. 30, 6. 5) Advers. Flaccum p. 966. 6) Strabo 797. §. 12. *ὑπ' αὐτῷ δὲ (ἐπάρχῳ) ἐστι ὁ δικαιοδότης*. 7) c. 17. Hic locus utique multa habet de quibus mireris; opponuntur sibi juridicus et senatus Alexandriae a Severo institutus, ita ut, quum Senatui rerum urbanarum administratio adscribenda sit, eandem antea juridico curae fuisse sequatur. Id quod nemo credet. Praeterea si juridici antea et senatus postea negotia eadem essent, cur demum tum quum Senatus electus esset, juridici munus non abolitum est? 8) Lex 2. libr. I. Digest. Tit. 37. Cod. libr. I. tit. 57. 9) Strabo p. 797. §. 12: *ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος*.

rent, alii judices esse debebant. Id quod duplici modo expediri potest. Aut enim causae accidebant, quae quum ita graves essent, ut earum dijudicatio potestatem juridico legitime concessam excederet, non nisi ipsius praefecti sententia possent dirimi. Aut praeter forum Romanum alia judicia habebantur, quibus suae res obveniebant dijudicandae. Puto utrumque horum una locum habuisse. Illud enim colligo e Philone, qui adv. Flaccum p. 965 praefectum ait *δικάζειν τὰ μεγάλα*. Hoc propterea mihi probabile, quod et alias provincias licet in comparationem vocare [1]), et, si omnes in Aegypto lites coram uno foro Romano essent tractatae, eorum numerus, in tanta gentis litigandi cupiditate absolvi omnino non potuisset. Denique Romanos provincialibus non omnem eripuisse jurisdictionem, vel inde apparet, quod inter magistratus Alexandrinos *ἀρχιδικάστην* retinuerunt. Quod si de eo, qui ejusmodi erat, ut fixam suam sedem haberet, ad alios concludere licet, quemadmodum alii magistratus ad nomos pertinentes omnes intacti a Romanis reservati sunt, sic verisimillimum redditur, etiam *ἐπιστάτας* illos, quos sub Ptolemaeis in singulis nomis jurisdictionem habuisse supra scripsimus, sub Romanis remansisse. Quemadmodum autem agoranomi, quibus et ipsis jurisdictio in emendo vendendoque data erat, e Romanis interdum eligebantur (vid. supra p. 41. 14), sic fortasse etiam in nomis collegio judicum Romani praesidebant.

Chrematistarum contra collegium judicio Romano cessisse putamus. Erat enim haec commutatio levissima. Chrematistae nimirum causas dirimebant civibusque omnibus aures praebebant regis nomine, a quo missi erant [2]). Idem etiam praefectus, qui regis locum tenebat, et ipse faciebat, et qui ab eo in hunc finem allegati erant. Illi per universam provinciam proficiscebantur conventusque agebant; hic idem mos vere Romanus. Hoc unum tamen interest, quod Chrematistae ad epistrategiam pertinuisse videntur, praefecti autem collegium quasi illorum omnium auctoritatem atque officia in se colligens per totam Aegyptum jus dicebat; itaque similitndinem quandam cum pristino illo triginta virorum judicio [3]) referebat.

Jurisdictio ipsa mea sententia sic divisa erat, ut a Romanis judicibus h. e. ab ipso praefecto vel ejus legatis dijudicaretur, si quae lis erat inter cives Romanos, vel inter civem Romanum et indigenam, vel indigenas diversae nationis et civitatis [4]), vel inter totos nomos ac diversa hominum collegia. Si quid contra ad solos Alexandrinos spectabat, coram archidicasta, si quid ad Judaeos, coram eorum ethnarcha, si quid denique disceptationis in uno eodemque nomo exortum erat, coram epistata causa agebatur.

Si vera sunt, quae de re judiciaria disputavimus, etiam in hac re videmus Romanos morem prudentissimum, quem non tantum alias in Aegypto, verum etiam in omnibus provinciis ordinandis sequi solebant, observasse, ut graviores tantum

1) cf. de Sicilia Cic. in Verr. II, 13. 2) ut demonstravit Peyron ad papyros Gr. l. c. p. 94. 3) De eo vide Wilkinson Costums and Manners of ancient Egyptians II. p. 24 sqq. 4) Hoc e Philone sequitur, qui adv. Flaccum p. 968 de praefecto Flacco: *μήτ' ἴσαν παρέχων*, ait, *καὶ κοινὸν ἀκροατὴν ἑαυτὸν τοῖς τὰς ἀμφισβητήσεις ἔχουσιν, ἀλλὰ πρὸς θάτερον ἀποκλίνων μέρος*. De Judaeis et reliquis Alexandrinis.

et potentiores magistratus Romanos redderent, in reliquis autem, qui genti terrae propiores consuetudineque accepti et propterea tolerabiliores videbantur, nihil, quantum fieri poterat, commutarent.

Caput V.

DE REDITU[1]).

1. Reditus genus quem Romani ex Aegypto capiebant, duplex erat; aut enim ex pecuniis vectigalibus constabat, aut ex rebus naturalibus, maxime e fructibus. Ob terrae autem naturam utriusque generis summa quotannis variare debebat, prout uberior quoque anno vel parcior fluebat Nilus et provincia vel fertilior erat vel sterilior. Contingit autem nobis, ut pecuniae quanta copia in universum redierit sub Romanis, non exacte quidem computare, tamen conjectura augurari liceat. Ciceronem enim Strabo refert[2]) in oratione aliqua, quae temporum iniquitate nobis interiit — suspicor Gabinianam fuisse — dixisse Ptolemaeum Auletam, Cleopatrae patrem, quotannis pecuniae reditum 12500 talentorum accepisse. His non repugnat Diodorus[3]), qui plus 6000 talenta sub eodem rege redisse scribit, siquidem statuimus, Diodorum computationem suam ex talentis Alexandrinis fecisse, quae Atticis duplo erant majora[4]). Si autem Ciceronem talenta Attica munerasse verum est, nostri argenti sunt fere 17,850,000 Th., ut in universum annuam pecuniarum summam versus centies octogies centena millia Th. recte aestimes. Sed quum Lagidae negligenter rempublicam administrarent, reditus summam Straboni[5]) libenter concedimus longe auctam ac satis gravem fuisse Romanorum aetate[6]), quippe qui duos vectigalium quasi fontes praecipuos, agriculturam et mercaturam, ut infra docebimus, eximie foverent amplificarentque. Praeter pecuniam Aegyptus aliquantam frumenti copiam praebebat, cujus prae aliis intererat imperatoribus, et quae, ut Aurelius Victor memoriae prodidit, ducenties centena millia modiorum (super tricies centena millia medimnorum Berolin.) sub Augusto quotannis explebat[7]).

Verum tamen non tantum ipsius reditus diversa genera erant, verum etiam diversa ratione efficiebantur. Aut enim *A*) e vectigalibus, aut *B*) e fundis, metallis, aliis redibant, quorum usum imperatores habebant.

A) *Vectigalia.* Ad quae describenda priusquam accedamus, nobis denuo discernendum est inter ea, quae certo quodam temporum intervallo atque ordine pensitabantur, vectigalia directa, et inter ea, quorum solutio casui magis obnoxia et incerta erat, indirecta.

---

1) Rudorff. Mus. Rh. II, 2 §. 10 p. 133—144. 2) Strabo p. 798. 3) 17, 52. 4) Festus p. 359 Müller. Aliam viam iniit Mannert (Tom. X. Part. I. p. 311) qui aut errasse Diodorum opinatur aut eas intellexisse pecunias quae deductis expensis, quae reipublicae administratio flagitabat, in fiscum redirent. 5) l. c. 6) Strabo p. 797. §. 13. 7) Aurel. Vict. epit. c. 1. neque tamen 2000000 modiorum, quem numerum Rudorffius falso habet subductum l. c. p. 135.

a) Directa. Quae quum per reliquum imperii orbem ubique essent duplicia, aut praediorum tributa aut capitum, etiam in Aegypto haec nobis eorum divisio retinenda est, quamquam de illis tantum paulo certiores facti sumus.

α) Fundorum tributa, quae omnium in Aegypto longe gravissima erant. Antiquitus ea sic instituta fuisse probabile est, ut fructuum ipsorum aliqua pars pro vectigali daretur, τελέσματα σιτικά. Quae autem solvebatur pars, quum eam inde ab Josepho Israelita[8]) usque ad sua tempora Orosius scribat[9]) omnium fructuum quintam fuisse, eandem hanc partem etiam per Romani in Aegypto imperii saecula solutam esse colligimus. Ceterum haec pars in Aegypto major quaedam erat, quam in aliis provinciis plurimis, quae vel septimas, vel decimas vel vicesimas praestabant.

Quinta autem fructuum pars in maxima soli fertilitate tantam efficiebat frumenti copiam, ut omnis a regibus in usum reipublicae absumi non posset. Hinc jam ante Romanos in morem abierat, ut pro fructibus pecunia solveretur, τελέσματα ἀργυρικά[10]). Etsi Romani deinde ideo maxime Aegyptum imperio suo adscripserant, ut haec provincia satis magnam frumenti copiam, quae deesse jam incipiebat, ad imperii caput Romam alendam suppeditaret, tamen ab iis per universam Aegyptum non totam annonae partem quintam, quod fortasse opineris, collectam, sed pro aliqua ejus parte etiam pecuniam solutam esse, ex Tiberii edicto apparet, ubi τελέσματα σιτικὰ καὶ ἀργυρικά agricolis attribuuntur[11]). Hoc etiam alia ratione verisimile fit. Nimirum si Romanos quoque annó de quoque agro omne vectigal frumentarium collegisse statuimus, atque si ea quae quotannis Romam sub Augusto mittebatur frumenti copia (3000000 medim. Berol.) vectigalis erat, quo nihil verisimilius, sequitur, ut tota Aegyptus quotannis fere 15000000 med. Berol. frumenti protulerit, ut igitur fere 12000000 med. suffecissent, unde 8000000 homines viverent[12]). Id quod minime credibile est, praesertim si consideres, etiam mercatura esse annonam ex Aegypto in alias terras exportatam. Quas ob causas et frumentarium vectigal et una pecuniarium de agris solutum esse, certum fit.

Sed etiam hoc obtineo, de uno eodemque agro possessorem alterutrum tantum pensitasse, et ita quidem, ut pecunia esset fructuum qui non darentur copiae ac pretio accommodata eorumque quasi vicem sustineret. Utrumque enim vectigal pro se de solo provinciali esse exactum, ejus non tantum nullum aliud per omnem antiquitatem Romanam exemplum apparet[13]), verum obstat etiam Hygini testimonium gravissimo loco, qui in universum de provinciis disserens certe Aegyptum non exclusit[14]). Denique accedit, quod, si praeter fructuum quintam partem etiam

---

8) 1 Mos. 47, 24—26. cf. Drumann Inschrift v. Rosette p. 157. 9) Hist. 1, 8. 10) Herod. 3, 91. Inscript. Rosett. l. 29. 11) lin. 47. 12) Eodem modo etiam sub Ptolemaeis res se habebat. Ptolemaeus II praeter 14800 talenta 1500000 artabas frumenti accipiebat (Hieronym. in Daniel. p. 1122. Drumann Inschrift v. Rosette p. 150), dimidiam igitur ejus frumenti partem, quod Romani in Italiam transvehebantur. Artaba fere medimno Berolinensi respondet. 13) cf. Cicero in Verrem 3, 6. et v. Savigny Ueber die römische Steuerverfassung, (in commentationib. acad. Berolin. 1822.) p. 44. 14) Dignus locus, quem huc transcribamus; de limit. const. p. 198 Goes: In quibusdam provinciis fructus

certam aliquam pecuniae summam ab agricolis quoque anno exegissent, profecto nimium flagitassent, quam quod provincia sine summo ipsius Romae damno solvere posset. Alterum quod Hyginus scribit pecuniam per soli aestimationem constitutam esse in Aegypto apparet, quum aestimatio agrorum prorsus a Nilo penderet ac propterea singulis annis variaret, etiam tributorum summam variasse et quoque anno denuo constituendam fuisse. Si enim Nilus sedatior fluebat, tum non modo nonnulla rura prorsus non irrigabantur et sterilia jacebant, sed etiam quae inundabantur, minorem habebant fertilitatis vim, quam si major extra ripas exuberarat. Cum his congruit Strabo, qui majora Nili incrementa etiam reditum majorem denuntiare scribit [15]). Denique si quid ex iis quae apud Dionem narrantur de Tiberio imperatore [16]), colligere licet, dubium esse non potest quin quoque anno ab ipso imperatore, cui soli fas erat, tributorum summa sit praescripta. Cui summae si capitum tributa addita erant, quia haec singulis quidem censibus neque tamen singulis annis variabant, ut fixa facile poterant reliquorum summae vel detrahi vel addi. Nos certe ea nunc secernimus. — Ad agros autem quae pertinebant vectigalia, quoniam eorum summa prorsus a Nili undis pendebat, indici non poterat, antequam maximam Nilus aquae suae altitudinem attingeret et jam defluere inciperet. Ideo Tiberius Alexander in edicto suo adhortatus est homines, ut securi agros colerent; fore enim, ut ex vera inundationis mensura tributa constituerentur [17]). Non miramur autem vectigalia, postquam jam arata rura erant, esse indicta, si et praefectum de Nili mensura Romam ad imperatorem scribere debuisse, et imperatorem suam de constituenda vectigalium summa voluntatem in Aegyptum rescripsisse reputemus. Ne tamen vectigalia in tanta varietate vel in incolarum vel in Romanorum damnum ad arbitrium augerentur minuerenturve, ante omnia opus erat Niliacae aquae altitudinem quoque anno accuratissime observatam ac descriptam habere. Huic fini nilometria inserviebant, de quibus hic congeram, quae necessaria videantur.

2. *Nilometrium* [1]). Praeter multa nilometria privata, quae quodque templum pro se habebat [2]), sub Romanis invenio Aegyptios duobus publicis usos esse, quorum unum Memphide erat, quo etiamnum utuntur [3]), alterum, quod Strabo accuratius descripsit [4]) quodque integrum hodieque exsistit [5]), Elephantinae. De constructione eorum hoc tantum commemoro, nilometria puteos fuisse atque in uno latere scalam habuisse depictam, in qua singuli cubiti ac digiti descripti essent; aquam autem nilometrii sic cum Nilo communicasse, ut quo altius hic surgeret, eo magis illud impleretur. Erat autem cura nilometriorum et inspectio sacerdotibus Serapidis ex antiquo more credita [6]), qui et optimam inundationis no-

partem constitutam praestant, alii quintas, alii septimas nunc multi pecuniam et hoc per soli aestimationem. Certa enim pretia agris constituta sunt, ut in Pannonia arvi primi arvi secundi, prata, sylvae glandiferae, sylvae vulgaris pascuae.

15) p. 817. 16) 57, 10. 17) lin. 55—59.

1) Marcell Mémoire sur le Nilometre. Description de l'Egypt. II. p. 63. Girard sur le Nilometre d'Elephantine. Descript. I. p. 8. 2) Ritter Erdkunde I. p. 840. 3) Ritter ibid. 4) p. 817. §. 48. 5) Ritter p. 692. 6) Clem. Alex. stromata VI. p. 633. cf. Rufinum ad Euseb. de hist. eccles. 1, 2.

titiam habebant et annuam aquae altitudinem libris inscribebant [7]). Attamen sacerdotes ipsos haud dubie speculabatur ipse praefectus, ne verum cubitorum numerum in populi gratiam minuerent. — Crescente Nilo reliquus interea Aegyptiorum populus otians festos dies agebat et νειλῷα celebrabat [8]), piscando, per undas navigando, commissando. Literasque exspectabat per urbes missas, quibus praefectus incolas de vera accrescentis Nili altitudine certiores faciebat. Tum omnes de futurae messis copia laetas spes capiebant [9]).

Inundationes tribus modis mensurabantur. Aut enim minima erat, in qua fames metuenda; aut maxima, quae opimam messim promittebat, quaeque justa (δικαία ἀνάβασις) vocabatur h. e. talis qualis esse deberet, nec major nec minor [10]); aut tertia denique mediocris [11]). Ceterum variare poterat inter has mensuras et modo in unam modo in alteram vergere cubitorum numerus. Omnes autem hae mensurae secundum unum idemque nilometrium et Memphiticum quidem, quod omnium maximam auctoritatem habebat, constitutae esse videntur. Patet enim Nilum eodem tempore in superiore Aegypti parte altius assurgere, quam in inferiore, et propterea Elephantinae cubitorum numerum eodem tempore majorem esse debere, quam Memphide. Quem vero ex diversis his numeris in publicum usum converterent, unum Memphiticum fuisse opinor [12]).

Qui autem cubitorum numerus cuique inundationis classi adscribebatur, is aliis temporibus alius esse poterat, ac prorsus pendebat ex ea cura quam terrae moderatores in aqua dispertienda, fossis purgandis, aggeribus reficiendis, ponebant. Strabo certe scribit ante Petronium, qui Augusto imperatore Aegypto praeerat, XIV cubitis opus fuisse, ut summa fieret fertilitas; si ad VIII tantum assurrexisset Nilus, famem evenisse. Eo autem praefecto XII cubitos suffecisse ad maximam frugum copiam proferendam, et si VIII essent impleti, neminem famem sensisse [13]). Ab eo non paullo discrepat Plinius [14]), qui tanquam de suis temporibus loquens justum incrementum XVI cubitorum vocat. In XII autem cubitis provinciam famem sentire, in XIII etiamnum esurire, XIV cubitos hilaritatem afferre, XV securitatem, XVI delicias. Atque haec cum iis, quae Strabo de Petronii aetate narrat, sic possunt conciliari, ut aut accipiamus Romanos non eandem, quam sub Augusto curam etiam postea in agricultura Aegypti amplificanda et servanda collocasse, aut Plinium non tam suorum vel Romanorum quam antiquissimorum temporum historiam respicientem secundum vetustiores libros has mensuras dedisse. Plutarchus certe incrementum apud Memphim tum justum fuisse scribit, si XIV cubitos Nilus expleret [15]). — Neque tamen quo altius surgebat Nilus, eo utilior inundatio erat. Justa enim summam aliquam attingebat altitudinem, qua major quaedam jam perniciosa segetibus fiebat. Nam quia tunc aqua per longius tempus in agris reside-

7) Diod. 1, 36 in fine. 8) Heliodor. 9, p. 423. Aelian. hist. animal. 10, 43. Diod. Sicul. 1, 36. 9) Julianus Epistol. 50. cf. Diod. l. c. 10) Decret. Busirit. apud Letronn. p. 392. lin. 11. cf. eundem p. 396. Plutr. de Isid. et Osir. §. 43. Plin. n. h. 5, 9. Strab. p. 817. 11) Strabo l. c. 12) cf. Plutr. l. c. Aeliam Arist. II. p. 336 et maxime p. 361 Jebb.: τέτταρας καὶ δέκα ἄγειν τοὺς κατὰ Μέμφιν γνωρίμους καὶ πρὸς οὓς Ἕλληνες ἤδη λογίζονται. Quamquam in reliquis hoc loco lusisse videtur Aristides. 13) Strabo p. 788. §. 3. 14) n. h. 5, 9, 57. 58. 15) Plut. l. c. cf. etiam Arist. l. c.

bat neque diffluebat, non tantum sementem, verum etiam segetum proventum retardabat. Hinc ne optabant quidem, ut supra XVI cubitos Nilus unquam intumesceret [16]. Nihilominus interdum longe supra has mensuras augescebat; testatur adeo inscriptio quaedam in nilometrio Elephantinae reperta [17], versus annum 200 p. Ch. Nilum usque ad altitudinem XXIV cubitorum et IV palmarum increvisse. — Etiam in numis nonnullis apparet nilometrium, ex quo puerulus nudus fluminis incrementum quaerit, ut in numo Trajani (ex anno 131 p. Chr.) [18], in duobus Antonini (ex anno Christi 144 [19]) et 153 [20])), quos annos ob justa Nili incrementa summamque fertilitatem maxime memorabiles fuisse suspicari licet.

3. Quo majores igitur infra justum numerum XVI cubitorum ex nilometrio mensurae legebantur, eo majora et ideo cuique anno sua tributa ex jure indicenda erant. Paullo tamen ante Tiberium Alexandrum praefectum in usum abiit, ut aliquas priorum annorum inundationis mensuras complexi inde mediam quandam summam efficerent, ex qua quoque anno eadem vectigalia indicerentur [1]. Quae quidem ratio ut iis, qui indicebant vectigalia et exigebant, commoda, sic provincialibus omni modo perniciosa erat. Ita enim evenire poterat, ut vel agri a Nilo intacti relicti et ideo steriles gravia tributa penderent. Hanc igitur rem se omissurum et ex annuae inundationis veritate semper tributa exacturum esse promittit Alexander. — Tributa autem constituendi ratio mea sententia haec erat. Ex longissima observatione innotuerat, quanta in quaque Nili altitudine futura esset messis copia, quantaque quinta frugum pars. Qua de re praefectus Romam scribebat, imperator deinde de hac frumenti copia quantum vellet, colligi et Romam transportari jubebat, pro reliqua autem annonae parte pecuniam substituebat pretio parem. Quum autem in Aegypto quaeque toparchia denuo esset divisa in certum aliqnem numerum quadratorum fundorum ex soli plagis metatorum, quorum singulare quodque latus centum cubitos Aegyptios patebat, qui a pluribus quidem possideri poterant, sed in rebus vectigalibus pro capitibus individuis habebantur [2], utramque summam et frumentariam et pecuniariam puto pariter inter has aruras quae dicebantur sic distributam esse, ut quaeque arura et frumentum et argentum solveret. Quae deinde summa in quamque aruram ceciderat, ea denuo poterat facili negotio, si plures ejus possessores erant, pro partibus possessionis dividi [3].

His vectigalibus primum exempti erant agri, si qui a Nilo non irrigati steriles eo anno manserant. Tum eos visebant, qui vectigalibus praeerant, tributaque remit-

---

16) Amm. Marcell. 22, 15, 13. 17) Apud Letronn. p. 264. cf. p. 265. 18) Zoëga N. Aeg. p. 82 Nro. 139. cum nota. 19) idem p. 185. Nro. 191. 20) idem p. 202. Nro. 364—366. quorum in uno numerus justorum cubitorum *ις* h. e. XVI inscriptus est.

1) Ed. Tib. Alex. lin. 55—59: *ἡ λεγομένη κατὰ σύνοψιν ἀπαίτησις, οὐ πρὸς τὴν οὖσαν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποταμοῦ, ἀλλὰ πρὸς σύγκρασιν ἀρχαιοτέρων τινῶν ἀναβάσεων* cf. Rudorff. M. Rh II, 2. p. 189. 2) Vide quae congessit Rudorff. M. Rh. II, 2. p. 136. 3) In hac explicatione non paullulum a Rudorffio recessimus, qui (l. c. p. 137) ita computat, ut quamque aruram et quintam fructuum partem et praeterea vectigal pecuniarium pependisse opinari videatur. At tum sibi ipse contradicit (p. 134), quum ibi agricolis alterutrum tantummodo solvendum fuisse rectius contendat.

tebant[4]). Quoniam autem hac ratioue fertilitati agrorum vectigal peraequabatur, id *ἐξομοίωμα* dieebatur, contra quod ue quid scribant, ne igitur majora, quam pro agrorum foecunditate fas erat, tribnta exigant, Tib. Alexander eclogistas admonet[5]); qui vero contra agat, sancit, ut is triplicem partem ejus quod uimium postulaverit, mnletam solvat. Deinde nonnulli ex provincialibus *ἀτελείαις* et *κουφοτελείαις* fruebantnr[6]), quae, ut recte Rudorffius monet[7]), non ad mnuera sed ad vectigalia pertinebant, quasque hic commemoramus, quia potissimum de praediorum immuuitate accuratiora tradnntnr. — Antiquitus fundi nonnnlli prope Alexandriam, in eo nomo, eujus terra Alexaudrina dieitnr[8]), et in Menelaita siti haud dubie in favorem vicinae urbis hoc privilegio utebantur, ut uunquam pertica (*σχοίνιον*) metiendi causa in eos inferretur nec inter tabulas eensuales relati tributa penderent[9]). His agris nomine *ἀρχαίας γῆς* insiguitis quibus autiquitus hoc beneficium concessum erat, post etiam alii accesserunt (*προςγεννήματα*). Omnes autem hi agri privatorum eraut. Templorum quidem fundos nec proxime ante Romanos constat immunes fnisse[10]), nec sub Romauis immunitatem recuperasse credibile est[11]).

Haec vero et alia immunitatis beneficia, quae ab Angusto retenta erant, identidem a praefectis ueglecta a Claudio imperatore denuo constituta suut; nihilominus postea a paneis praefectis, nt ab Alexandro servata, ab aliis plnrimis violata sunt[12]), douee Vespasianus Alexandrinis irascens ea prorsus delevit[13]).

4. β) *Tributa capitum.* Etiam haec tributa in Aegypto uou defuisse, certum testimouium exstat apud Josephum, qui Agrippam Judaeum incolarum Aegypti uumerum recensentem ac sic pergentem habet: *ὡς ἔνεστι ἐκ τῆς καθ' ἑκάστην κεφαλὴν εἰσφορᾶς τεκμήρασθαι*[1]). Quo ex loco quum pro suo quemque capite proviuciales tribnta solvisse appareat, ille mos, qui serioribus temporibus certo obtiuebat, ut qui vel fuudiculos possideret, a capitis censu liber esset[2]), bis temporibns in Aegyptum cadere uou potest. Ceternm quae summa singulo cuiqne solveuda fuerit, plane nescimns.

Jam ut directa haec vectigalia justo ordine redirent, libris censualibus opns erat. Atque bi in uuiversnm qninto qnoque anno denuo conficiebantur[3]). Eos autem in quibus fuudi eraut consignati, quum hi propter annuam finium pertnrbationem maximam iu constitueudis agrorum terminis anetoritatem haberent, prae aliis patet exactissime descriptos esse et quotannis denuo recenseri debuisse[4]).

Vectigalibns impertiendis et exigendis praeerant *ἐκλογισταί*[5]), qui iude nomen habent, quod summam vectigalium in quemque nomum cadentem pro agro-

4) Ed. Alex. lin. 57: *πρὸς τὸ ἀληθὲς — τῆς βεβρεγμένης κατὰ τὴν ἀνάβασιν χώρας* cf. Herod. 2, 109. 5) lin. 59. cf. Rudorff. p. 187. Not. 10. 6) Edict. Tib. Al. l. 26—30. 7) l. c. p. 177. 8) Ptolem. 4, 5. 9) Ed. Tib. Alex. 59—62. Rudorff. p. 189. 10) Inscript. Rosett. lin. 15. Drumann. p. 161. 11) Rudorff. p. 177. 12) Ed. Tib. Al. 26—30. 13) Cass. Dio 57, 18.

1) Bell. Jud. 2, 16, 4. 2) cf. v. Savigny Steuerverfass. p. 31 sqq. 3) Sic *τὴν πεντεατίαν* in Ed. Alex. lin. 49 interpretatus est Rudorff. l. c. p. 187, 7. 4) Strabo p. 787. Rudorff. l. c. p. 136. cf. Cassiod. Var. 3, 52. 5) Ed. Tib. Alex. lin. 51. Rudorff. l. c. p. 138.

rum et hominum rationibus dispensabant. Quot numero fuerint, non licet definire; sufficiebat tamen, puto, si cuique toparchiae vel nomo minori unus erat praepositus. Eae aedes publicae, in quibus vectigalia colligebantur, et libri censuales servabantur, *λογιστηρίου* nomine nuncupabantur [6]; suum igitur quisque *ἐκλογιστής* logisterium habebat [7].

Eclogistis alii subditi esse debebant, qui singulis hominibus vectigalia indicerent. Qui quidem aut sponte pendebant, aut ad solvendum vi compellendi erant. Qui recusabant, eorum nomina, ut mihi videtur, ad nomarchum deferebantur, qui compulsoribus imperabat [8], ut lentos debitores ad solvendum vi cogerent [9]. — Ceterum eclogistae libera sua in impertiendis tributis auctoritate sic saepius abutebantur, ut plurima, quae a praefecto non erant imperata, quibus se ipsos locupletarent, exigerent, Aegyptii contra de fraudibus eorum multas querelas ad praefectum perferrent [10]. Itaque Tib. Alexander maxime necessarium habebat, ut immodicam hanc eorum libidinem iterum atque iterum coerceret, ne universa Aegyptus perderetur [11]. — Sed quo major eorum potestas (*ἐξουσία*), quo in tanta potestate avaritia aliis perniciosior, eo magis iis opus erat, qui rationes contra scriberent Atque hoc officium habebant scribae publici (*γραμματεῖς*). Tria eorum genera distinguere licet, quae eadem jam sub Ptolemaeis deprehendis, *τοπογραμματεῖς, κωμογραμματεῖς, γραμματεῖς βασιλικούς*. Jam quum nomi singuli in toparchias (*τόπους*) dividerentur, quae urbes vicosque continerent, verisimile esse ait Letronnius, *τοπογραμματεῖς* regionum, *κωμογραμματεῖς* vicorum scribas esse habendos, ita ut illi auctoritate hos praecederent. Miratur tamen, quod in Capitonis edicto ii qui ex ipsius opinione inferiores sunt, ante alteros et statim post scribas regios nominantur [12]. In contrariam sententiam abiit Peyron [13], quem Rudorffius [14] sequitur et Droysenius [15], qui omnes *κωμογραμματεῖς* ad oppida, *τοπογραμματεῖς*, illis inferiores, ad singula oppidorum loca (*τόπους*) pertinuisse censent. Quod si verum est, fit consentaneum, cuique oppido unum scribam urbanum, cui subditi essent plures locorum scribae, praefuisse. At tum cum his componi non potest, quod in decreto Busiritanorum *κωμογραμματεῖς* plures in una eademque urbe Busiri commemorantur [16]. Praeterea hoc adversatur, quod in publicis documentis locorum scribae ante scribas

6) Edict. Capit. lin. 34—36. 7) Quod Rudorffius opinatur (l. c.), *λογιστήριον* eum locum fuisse, ubi eclogistae convenissent, eosque omnino collegiali quodam vinculo inter se tentos esse videri, nescio unde hauserit. Quorsum enim tales conventus? In Thebaide certe plura erant logisteria, ita ut simplicissimum sit statuere, quemque nomum unum habuisse. (Ed. Capit. lin. 34: *οἱ δ' ἐντὸς Θηβαΐδος διὰ τετρ[αμήνου ἐφοράτωσαν τὰ] λογιστήρια* ex Letronnii restitutione, quae ad sensum recte facta). Quod autem statim sequitur *τὰ ἐγ τοῦ λογιστηρίου . . . . πεμπέτωσαν*, non fortasse unius logisterii, in quod conveniebant eclogistae, sed singuli cujusque rationes intelligendae sunt. 8) Amm. Marcell. 22, 6, 1. cum Valesii nota. cf. nos supra p. 36. 9) idem 22, 16, 3. 10) Edict. Capit. lin. 15—18. 11) Ed. Tib. lin. 51—53. — *ἐξ οὗ συνέβαινεν αὐτοὺς μὲν ἀγυρίζεσθαι, τὴν δὲ Αἴγυπτον ἀνάστατον γίγνεσθαι.* 12) Recherch. p. 397 sqq. cf. Ed. Capit. lin. 31. 13) Papyr. Gr. Tur. p. 111 sqq. 14) Ed. Capit. p. 14 sqq. 15) Mus. Rh. III, 4 p. 515. 16) Apud Letronn. p. 391. lin. 13—15.

urbium nominantur, atque propterea iis praeponuntur[17]), quae res in Aegypto haud levis momenti est. Ex pristina enim antiquitate, quod saepe vidimus, consuetudo invaluerat honoris et dignitatis gradus sollicite agnoscendi et observandi. Quod autem alteri alteris modo anteponuntur modo postponuntur, in eo mihi, si quid sapio, indicium latet, neutros alteris auctoritate cessisse. Atqui ut pares dignitate erant, sic rebus gerendis et officiis diversi esse poterant. Fortasse *κωμογραμματεῖς* eos libros censuales curabant, in quibus homines consignati erant, *τοπογραμματεῖς* autem eos libros, in quibus fundi descripti. Si quae igitur ad lites dijudicandas ex his libris repetenda erant, tum ex suis uterque libris ad scribam regium referebat, qui relata deinde ad judices mittebat[18]). Quantus fuerit eorum in quoque nomo numerus, non constat, plures tamen utriusque generis in una eademque urbe esse potuisse, e Busiritanorum decreto apparet. — His praepositus erat *γραμματεὺς βασιλικός*, in quoque nomo vel interdum in duobus minoribus[19]) unus, qui num secundum Peyronii sententiam[20]) aliquando fundos regios custodierit, non amplius quaero; hoc tamen constat, ex regum aetate nomen ei cum dignitate etiam sub Romanis remansisse. Officium ejus *βασιλικὴ γραμματεία* dicitur[21]). Ad eum scribae inferiores totius nomi tabulas censuales mittebant[22]). — Praeter tabulas has conficiendas alia scribarum officia haec commemorantur. Capito praefectus eos jubet omnes nomi expensas, et si quae essent injusto modo exactae et alias, accurate literis consignare[23]); deinde a Thebaidis scribis flagitat, ut quarto quoque mense eclogistarum logisteria visitarent et acta eorum publica ipsosque eclogistas[24]) ad Basiliden, Caesaris libertum, mitterent[25]), ut corrigeretur, si quid contra jus fasque esset ab iis imputatum vel exactum. Ex ipso hoc loco una apparet totius collegii, quod in Thebaide erat vectigalibus publicis exigendis praepositum, principem Romanum fuisse et unum quidem ex Caesaris libertis qui legatorum vice, si reliquae provinciae comparantur, praefectum in Aegyptum sequebantur, quibus minora vel majora concredebantur negotia[26]). Nonnulla eorum nomina ad nostra tempora pervenerunt. Apud Philonem enim Stephanio commemoratur, Tiberii libertus (adv. Flaccum p. 981). Basilides autem ille non nisi ipsius praefecti vicem agebat, quippe qui sua propria officia, rationes vectigalium in Thebaide inspiciendi et examinandi (*λογισμὸν, ἐξέτασιν, διαλογισμόν*) ei delegaret. Hoc idem munus etiam in Heptanomide et in Delta a libertis administratum esse, non constat. Sed nisi ibi liberti erant, tum scri-

---

17) ibid.: *ἔδοξε τοῖς ἀπὸ κώμης Βουσίρεως . . . καὶ τοῖς ἐν αὐτῇ καταγεινομένοις τοπογραμματεῦσι καὶ κωμογραμματεῦσι ψηφίσασθαι.* cf. Peyron. Pap. Gr. p. 4. lin. 6. sqq. 18) Peyron ibid. p. 4. lin. 6—10. 19) Inscriptio aliqua Memnonis Hadriano imperatore exarata Artemidorum quendam nominat scribam regium Hermonthidis nomi et Latopolitae. cf. Letr. Rech. p. 269. La Statue Vocale p. 178. 20) l. c. p. 112. 21) in Papyro a St. Martino dato in Journal des Savans 1822. p. 467. 22) cf. Peyron l. c. 23) lin. 31—34. 24) In Edicto legitur sic: *τὰ ἐγ τοῦ λογιστηρίου καὶ τοὺς ἐκλογιστάς.* . Sed cur ipsos eclogistas? Num forte non omnes intelligendi sed ii tantum, qui fraudaverant? De Basilide cf. Rudorff. Edict. Capit. p. 16. 25) Ed. Capit. 34—37. Ad verba *οἱ δ' ἔντος Θηβαΐδος* rectissime Rudorffius *βασιλικοὶ καὶ οἱ λοίποι γραμματεῖς* supplevit p. 15. 26) Strabo p. 797.

bae regii ad praefectum ipsum rationes mittebant, quas inspiceret; quod quidem officium, si Philoni credimus, maximam ei anni partem consumebat[27]). — Ex his omnibus autem apparet scribas in examinandis et contrascribendis eclogistarum rationibus praefecto quasi administros fuisse, et explicatur inde, quod Flaccum Philo narrat tanta in negotiis perficiendis et absolvendis dexteritate excelluisse, ut scribis omnino carere posset[28]).

Hos autem qui vectigalibus praeerant, si cum iis, qui terrae administrationem curabant et de quibus supra scripsimus, comparas, insignem aliquem consensum invenies. Libertos enim Caesaris, siquidem plures erant, quisque videt epistrategis respondere, quod et provinciis praepositi et Romani erant. Libertis vero qui vectigalium curatores subditi, ii jam in duas classes discedunt, eclogistarum et scribarum, quorum hi juxta illos positi rationes contra scribebant. Ut autem in quoque nomo unus strategus, sic etiam unus eclogista et unus scriba regius erat[29]). Longius tamen descendere et ampliorem consensum quaerere non audemus, quum de reliquis magistratibus inferioribus manca nobis notitia sit.

5. *b*) *Vectigalia indirecta.* α) Ante omnia nobis hic agendum esset de decima et vicesima encyclio, vectigali sub Ptolemaeis solvi solito (δεκάτη, εἰκόστη ἐγκύκλιος), siquidem vel levissimo indicio constaret, id tributum etiam sub Romanis exstitisse. Putamus quidem, quum omnia fere a Ptolemaeis instituta Romani reservaverint, et hoc tributum Romanorum aetate pendi non desiise; ob hanc tamen causam nobis non impositum arbitramur, ut quae a viris doctissimis, Boeckhio[1]), Buttmanno[2]), Droysenio[3]), aliis[4]) fusius de hoc vectigali disputata sunt, quaeque melius apud eos ipsos leges, omnia hic recoquamus.

β) *Portoria*, (τέλη, τελώνια) vectigalia de mercibus exacta. Quae quia Strabo inter causas recenset, propter quas reditus Aegypti sub Romanis magnum incrementum acceperit, aucta et amplificata mercatura Indica, summa eorum aestimanda est satis luculenta fuisse[5]). Quum enim portorium semper esset mercis pretio accommodatum, eae autem quae in Aegyptum importabantur et inde in universum imperii orbem quasi effundebantur merces, omnes, ut Indicae, pretiosissimae essent, denique earum Aegyptus fere monopolium haberet, vectigalia illa profecto in Aegypto tanta redibant, quanta nusquam alibi in imperio Romano. De quibus mercibus portorium sit exactum, in universum e lege quadam Digestorum constat[6]), sed quantum de quaque merce solutum sit, non est additum. At erat id fortasse diversis locis vel temporibus diversum. — Duplex autem portorium

---

27) Philo advers. Flaccum p. 761. cf. Edict. Tiberii Alex. lin. 50. 28) Adv. Flaccum p. 747. 29) Hoc clarissime inde apparet quod, si interdum fiebat, ut duobus nomis unus praeesset strategus, in iisdem duobus etiam unus scriba regius invenitur. Compara inter se duas Memnonis inscriptiones Hadriani principatu insculptas, apud Letronn. La Statue vocale etc. p. 178 et p. 189, ubi in nomis Hermonthita et Latopolita Chaeremon strategus et Artemidorus scriba regius nominatur.

1) Erklärung der Nechutes-Urkunde. Berlin 1821. 2) Oros-Urkunde (in comment. Academ. litt. Berol. 1824). 3) Mus. Rhen. 1832. III, 4. 4) Quos vide apud Droysenium p. 492. cf. Rudorff. M. Rh. II, 2. p. 139. 5) Strabo p. 798. §. 13. 6) Lex 16. Dig. de publ. et vectig.

exigebatur et de importandis rebus et de exportandis (τέλος εἰσαγωγικόν, ἐξαγωγικόν) [7]. Inter ea loca, ubi portoria dabantur, quae quidem loca infra nobis adjumento erunt ad vias mercaturae certius constituendas, prae aliis nominanda Alexandria, maximum imperii Romani emporium; ibi tamen plura de exportandis mercibus vectigalia colligebantur quam de importandis [8]. Deinde Canopus, quia id quod Nili ostium ad hanc urbem in mare effluebat, solum ad navigandum idoneum erat [9]. Praeterea Schediae, quod oppidum fossa erat cum lacu Mareotico et per hunc cum Alexandria Conopoque conjunctum, portoria solvebantur venalium rerum, quae vel secundo Nilo vel adverso portabantur. In hunc finem fluvius ibi ponte (σχεδίᾳ) junctus erat, unde oppidum ipsum nomen duxit [10]. Etiam prope Hermopolin Magnam in confinio Thebaidis et Heptanomidis sitam, castellum (φυλακή) erat Hermopolitanum dictum, ubi de mercibus e Thebaide delatis vectigalia postulabantur [11]. Attamen etiam alterum castellum, quod proxime supra illud in Thebaide situm erat (φυλακὴ Θηβαϊκή), suspicare licet in eum finem exstructum esse, ut rerum in Thebaidem inferendarum ibi penderentur vectigalia, quamquam ob Strabonis de hac re silentium non crediderim [12]. Denique etiam in mari Rubro vectigalia pendebantur, quae dubitare non licet quin ad Aegyptum pertinuerint, et quae Claudio principe Annius quidam Plocamus habebat conducta [13]. — Sed quum plura habeamus τελώνια, quaestio moveri potest, num etiam pluries sit de una eademque re vectigal pensitatum. In portubus quidem Alexandriae quae solvebantur vectigalia, ea secernimus, quum vere portoria sint et alius generis. Schediae autem puto vectigalia collecta esse maxime de iis rebus, quae extrinsecus in superiorem Aegyptum adverso flumine importarentur, atque propterea Strabonem accurate narrantem apud Hermopolin dixisse earum rerum vectigalia accepta esse, quae secundo flumine in inferiorem Aegyptum deportarentur. Quod autem Schediae etiam mercium Nilo deportatarum tributa exigebantur, id inde explicatur, quia non omnes merces e superiore Aegypto deferebantur, sed paucae etiam alia via, quam infra describemus, Alexandriam perveniebant, sic tamen, ut Schediam circumnavigare non possent. Hinc utrumque τελώνιον opportuno loco situm sua vectigalia exigebat. Fortasse alterum alteri auxilium ferebat, ut utrumque naves inspiceret excuteretque, nullaeque merces, de quibus in altero vectigal non esset pensitatum, in altero dimitterentur.

Haec autem et quaecunque his accedebant, vectigalia indirecta non ab ipsis provinciae procuratoribus exigebantur, sed a praefecto privatis hominibus locabantur [14]. Ad quae conducenda quum inviti saepe essent compulsi, hac de re apud Tiberium Alexandrium questi sunt, qui iis obsequens in Edicto suo se neminem contra jus fasque et contra ipsius fisci utilitatem ad vectigalia conducenda esse coacturum pollicetur [15]. Contra jus enim erat, quia ad *conducendum ve-*

7) Strabo ibidem. 8) Strabo l. c. cf. Edict. Justini 13, 8. 9) Strabo p. 801. §. 17. 10) Strabo p. 800. §. 16. 11) Strabo p. 813. §. 41. 12) Strabo ibid. 13) Plin. n. h. 6, 22, 84. Vincent. Periplus of the Eryth. See I. p. 45. 14) Ed Tib. Alex. lin. 10—15, ubi τελωνείας ad conductiones referendas esse, recte demonstravit Rudorff. p. 159—161. 15) Edict. ibid.

ctigal invitus nemo compellitur [16]), nec fisco conducebat, quod qui invitus rem suam agebat vel omni ejus rei notitia destitutus, facile et se ipsum ad paupertatem redigebat et fiscum debitis fraudabat [17]). Quod autem provincialibus, vel Alexandrinis vel reliquis Aegyptiis, neque Romanis haec vectigalia locabantur, id inde explicatur, quod equitum Romanorum, qui in aliis provinciis vectigalia publica conducebant, haud ita magnus numerus propter Augusti illud interdictum in Aegypto versabatur.

γ) Denique poenae pecuniariae accedunt, quae in fiscum solvebantur (*εἰς τὸ δημόσιον*). In Capitonis edicto ei qui contra jus vectigal exigit, decemplex ejus, quod nimium postulavit, solvendum. Fiscus sex partes, quatuor delator accipit [18]). In Tiberii edicto is qui tributa de agro exigenda fraude auxit, triplicem ejus quod fraudavit mulctam sibi contrahit [19]) etc.

6. *B*) Quae ex *fundis* et *fodinis* redibant, eorum summa vectigalia non aequasse videtur. Inter fodinas hic prae aliis commemoramus lapicidinas, quae plurimae erant in orientali montium tractu, inprimis prope Syenen, unde lapides ad splendidissima aedificia, maxime ad templa aedificanda caesos esse vestigia indubia hodieque demonstrant [1]). Romanorum aetate adeo novae lapicidinae juxta Philas inventae sunt et magni habitae, ut inscriptio docet ibi reperta [2]). His accedunt smaragdorum fodinae, quae in collibus erant prope Coptum sitis [3]). Tantam autem smaragdi Aegyptii duritiem habebant, ut vulnerari nequirent [4]). In metallis his Arabes operabantur ejus artis gnari, et profundissimos caniculos agebant. Non tantum smaragdos, sed etiam alios lapides pretiosissimos eruebant [5]). — Praeterea diversa marmoris genera, quae Plinius descripsit (n. h. 36, 7, 11) et lapis alabastrites (idem 36, 8, 12) et porphyrites (idem 36, 7, 11. Ael. Arist. II p. 349 Jebb.) magnam apud veteres laudem habebant. — His adjungimus nitrum, cujus uberrima in Aegypto copia. E duabus fossis colligebatur in eo nomo, qui propter hanc rem nomen Nitritae acceperat [6]). — Denique Aegyptus fossilia praebebat, quae ad vestes tingendas erant idonea [7]). — Haec omnia, quorum in fructus terrae domini jus habebant, num Romani ipsi curaverint in quaestum suum convertenda, an aliis locaverint, non constat. Certum tamen est, iis qui in publica opera damnati erant, in lapicidinis illis fodinisque operandum fuisse. (Ael. Arist. l. c.)

7. Omnes vero hi reditus in unum aerarium confluebant, cujus ratio et custodia penes praefectum ipsum erat (Philo adv. Flaccum p. 747), quodque diversis nominibus nuncupatur, *δημόσιος λόγος, τὰ δημόσια, κυριακὴ ψῆφος, φίσκος,*

---

16) Lex 9. §. 3. Digest. libr. 39. tit. 4. cf. quae alia congessit Rudorff. M. Rh. II, 2. p. 161. 17) Edict. lin. 12. 13. *εἰδὼς τοῦτο συμφέρειν καὶ ταῖς κυριακαῖς ψήφοις, τὸ μετὰ προθυμίας ἑκόντας πραγματεύεσθαι τοὺς δυνατούς.* 18) lin. 28. 29. 19) Ed. Tib. lin. 58. 59. cf. praeterea in Capit. edicto lin. 33. 34, ubi *ἑξήκοντα* legitur, sed numorum genus interiit. In edict. Alex. lin. 54. 55. suppleo τὸ [αὐτό].

1) cf. Ritter Erdkunde I p. 696 sqq. 2) Letronne Rech. p. 361. 3) Plin. n. h. 37, 5, 65. 4) Plin. ibid. 64. 5) Strabo p. 815. Ameilhon. Histoire du Commerce des Egyptiens p. 245. De his fodinis Ritter Erdkunde I. p. 673. 6) Strabo p. 803. 7) Plin. n. h. 35, 15, 184. cf. Drumann Inschr. v. Rosette p. 147. — De omnibus his vide Ameilhon l. c. p. 245—254.

κυριακὸς λογος [1]). Ex aerario autem hoc primum praefecto provinciae et reliquis magistratibus suum cuique salarium pendebatur [2]). Romanos autem tantum magistratus, neque provinciales salaria accepisse, Rudorffius opinari videtur, quum strategis nihil solutum esse scribat [3]). Nescio sane, num certius quid de hac re constet. Deinde etiam milites sua stipendia ex aerario illo accipiebant. Quae autem pecuniae summa jam reliqua erat, eam praefectus, ut ad liquidum perduxit Rudorffius, ad aerarium Saturni et militare Romam mittebat [4]). — Quae contra frumenti copia redibat, ejus aliquam partem ex vetusto privilegio Alexandria retinebat, sed longe maxima annonae pars praefecto curandum erat, ut tute et celeriter Romam perveniret [5]) Eo consilio etiam Caligula navibus his frumentariis receptacula in Sicilia exstruxerat [6]).

Praeter publicum hoc aerarium privatus fiscus commemoratur (ἴδιος λόγος), in quem bona caduca et bona damnatorum colligebantur (τὰ ἀδέσποτα καὶ τὰ εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφείλοντα) [7]). Praepositus ei erat Romanus quidam, qui a Strabone et ipse ἴδιος λόγος vocatur. Alias contra, ut in Tiberii Alexandri edicto, ἴδιος λόγος nil nisi fiscum ipsum significat, qui autem ei praeerat, γνώμων τοῦ ἰδίου λόγου [8]) vel πρὸς τῷ ἰδίῳ λόγῳ τεταγμένος [9]) appellatur. Duos hos fiscos non eadem ratione inter se habitos esse, qua aerarium et fiscus Romae, Rudorffius probavit [10]). Cur autem proprium aliquem virum, qui bona vacantia et damnatorum reciperet, in Aegyptum miserit Augustus, ejus causam idem in eo recte quaerere videtur, quod caduca et damnatorum bona in Aegypto plurima erant. cf. supra p. 22.

Ab utroque denique diversus erat privatus Caesaris fiscus, Καίσαρος λόγος [11]), qui a procuratoribus Caesaris (ἐπιτρόποις τοῦ κυρίου [12]) et dispensatoribus (οἰκονόμοις [13]) administrabatur. Utrique e libertis Caesaris esse solebant. Ad eum fiscum pertinebat, quae Caesaris res in Aegypto familiaris erat. Possidebat enim Caesar proprios fundos, qui vel colonis colendi [14]) traditi vel publicanis locati erant [15]). Praeterea in hunc fiscum credita redibant fiscalia, sive a provinciae magistratibus, sive a privatis hominibus exigebantur [16]).

Caput VI.

DE RE MILITARI.

1. Ut omnibus iis de quibus egimus, magistratibus collegiisque, ad administrandam provinciam vario modo et ordine institutis, ea auctoritas, quae ad suum

1) Edict. Tib. Alex. 21, 17, 13, 25, 18. 2) Cass. Dio 53, 15. 3) Mus. Rh. II, 2 p. 142 Not. 44. 4) Mus. Rh. l. c. p. 142 Note 45. 5) Rudorff. l. c. p. 142. 6) Joseph. Ant. Jud. 19, 2, 5. 7) Strabo p. 797. 8) Edict. Tib. lin. 44. 9) Ed. lin. 39. 10) Mus. Rh. II, 2. p. 143. 11) Edict. Tib. lin. 30. 12) Ed. Tib. lin. 22. 13) ibid. Strabo p. 797. 14) Edict. Tib. lin. 32. 15) lin. 11. 16) Ed. Tib. Alex. lin. 15—26. cf. ad haec omnia Rudorff. Mus. Rh. II. 2. p. 143. 144.

munus recte obeundum cuique necessaria erat, accederet, ut, si haec violata vel neglecta esset, vi restitueretur ac defenderetur, ut denique tota provincia in ditione teneretur; aliqua militum copia in Aegypto collocata erat, quorum summum penes praefectum imperium (Philo adv. Flaccum p. 966). Atque in hac re Romanorum aetas a Ptolemaeorum diversissima erat. Hi enim mercenarios conducebant, obedientiam detrectantes, nulla disciplina coercitos, qui, ut Strabo ait, propter regum ipsorum nequitiam imperare magis quam parere didicerant[1]). Illi contra legiones in Aegyptum mittebant Romana disciplina institutas, quae ad potestatem Romanam vel contra incolas tumultuarios vel hostes invadentes tuendam idoneae erant ac paratae. Numerus tamen eorum, pro incolarum multitudine et praestantia provinciae, parvus fuisse judicandus est. Nimirum erat Aegyptus inde a pristinis temporibus ob indolem terrae et hominum pacata magis quam belli gerendi amans, qui idem status, ut Strabo judicat, etiam Romanorum aetate remanserat[2]). Litoribus inhospitalibus montibusque inclusa lacessi extrinsecus non bene poterat, nisi a meridionali parte, in qua Aethiopes habitabant nomades, nec multitudine terribiles nec bellicosi[3]). Romanis certe militibus, ut Petronii expeditio docet, resistere non audebant. Aegyptii contra ipsi multitudine quidem pollentes ac seditiosi erant, ita tamen imbelles ac parum strenui, ut ubique Romani de iis facili negotio victoriam reportarent. Aliqua ejus rei exempla Strabo suppeditat[4]). Quod si ad provinciam et defendendam et domandam exigua militum copia opus erat, haec opportunitas gratam se Augusto offerebat verenti, ne quis Aegypto potitus imperium Romanum vel parvo cum praesidio in periculum adduceret. Qua propter minimum quantum provinciae status patiebatur, militum numerum praefecti imperio subdidit.

2. Copiae autem militum non omnibus temporibus eaedem fuerunt. Prioribus enim temporibus, quum Aegyptus vixdum subacta et ad imperium Romanum nondum assuefacta in seditiones propensior esset, quum praeterea provinciae fines supra Aegyptum propagandi conatus non sine aliqua jactura fierent, unam legionem plus ibi invenimus collocatam fuisse, quam postea. — Ceterum jam Jul. Caesar tres legiones, quas Alexandriae reliquit, ad Aegyptum obtinendam sufficere putavit[1]). Hinc ejus exemplum secutus eundem numerum retinuit Augustus, paucis militibus additis.

Ex tribus autem his legionibus una collocata erat Alexandriae, provinciae capite, ut praefecto semper praesto esset[2]). Ejus legatum praetorium (στρατάρχον) Philo commemorat adv. Flaccum p. 981. Quod autem Josephus in Agrippae oratione illa saepius jam citata, sive sua sive Neronis tempora respexit, duas dicit legiones urbem insedisse, atque inde totam Aegyptum in officio retinuisse[3]), in eo hoc veri inest, ut mox demonstrabimus, duas omnino illis temporibus in Aegypto degisse legiones. Num autem ambae hae in sola urbe Alexandria fuerint collocatae, ita ut reliqua Aegyptus ab omni exercitu vacua esset, dubito; ac vereor,

1) Strabo p. 797. §. 12. 2) idem p. 819 καὶ νῦν δὲ διάκειται παραπλησίως ἡ χώρα πᾶσα. 3) Strabo ibidem. 4) Strabo ibidem.
1) Sueton. Caes. 76. 2) Strabo p. 797. §. 12. 3) bell. Jud. 2, 16, 4.

ne parum accurate scripserit Josephus. — Altera deinde legio Babylone versabatur, quae urbs in confinio inferioris et mediae Aegypti sita castellum habebat collis jugo impositum, ad quod aqua adducebatur rotis cochleisque e flumine hausta et sublata, perpetuo captivorum labore [4]). De tertiae legionis sede nihil constat, nisi quod Strabo Alexandrinam et Babyloniam ei opponens ipsam in agris (ἐν τῇ χώρᾳ) dicit [5]) versatam esse. Ut autem eo loco ubi Delta et Heptanomis concidunt, praesidium erat collocatum, sic fortasse aliqua ejus legionis pars duo illa castella in Heptanomidis et Thebaidis finibus exstructa [6]) insidebat. Altera deinde pars duorum millium praesidii loco unum ex diversoriis illis, quae in via a Copto Berenicen ducente aedificata erant, et a Berenice quidem proximum obtinebat [7]). Atque huc traho, quod in aliqua Memnonis inscriptione [8]) et duabus aliis [9]) praefectus montis Berenicidis commemoratur. Letronnius quidem eum intelligendum esse cogitavit, qui smaragdorum fodinis praeesset. Quo tamen in monte hae fodinae erant, cum Berenicidem appellatum esse, nusquam constat, nec probabile est, quia Plinio [10]) auctore hic mons propius ad Coptum quam ad Berenicen situs erat. Illud contra praesidium non multum a Berenice aberat. Accedit, quod unus ex praefectis illis, Pinarius Natta, etiam tribunus militaris fuisse dicitur tertiae legionis, quam in Aegypto aliquando collocatam fuisse aliunde constat. Hinc praefectum montis Berenicidis eum dictum esse censuerim, qui imperium teneret praesidii in illo monte collocati. Jam quum una quaeque legio Augusti tempore circa 6100 pedit. continuerit, horum militum numerus circa 18300 peditum fuisse aestimandus est. — His accedebant novem cohortes (σπεῖραι [11]), quas a legionibus discernit Strabo et e Romanis dicit constitisse. Tres earum in urbe versabantur; tres alterae, quas ne plenas quidem fuisse Strabo narrat [12]), Syenae et in Aethiopiae finibus, ut Thebaidem contra Aethiopum incursus custodirent [13]), collocatae; tres denique reliquae alias per Aegyptum dispositae erant. Constabat autem cohors Augusto principe ex militibus 555; inde novem cohortium numerus efficitur, 4995 vel 5000, quos si legionum militibus adnumeramus, peditum summam illo tempore in Aegypto habemus 23300 [14]). — Praeter hos pedites tres equitum alae in Aegypto erant, et eaedem idoneis locis dispositae [15]). Quae quoniam tres sunt, verisimile est, eas ad tres illas legiones spectare. Accedebant autem sub Augusto ad quamque legionem 726 equites, unde totum eorum numerum constituimus 2178 fuisse [16]). — Versus finem se-

---

4) Strabo p. 807. §. 30. 5) idem p. 797. 6) idem p. 813. §. 41. 7) Plin. n. h. 6, 23. 8) Apud Letronn. La Stat. Vocale etc. p. 125. 9) Apud Orellium Nro. 3880 et 3881. cf. Letr. ibid. 10) n. h. 37, 5. 11) Strabo p. 797. Apud Polybium σπεῖρα est manipulus. Sed quia Strabonis tempore non jam manipulatim legio constituebatur, nil nisi cohortem significare potest. 12) p. 819. §. 53. 13) Strabo p. 817. 819. 820. De prioribus temporibus Letronne Rech. p. 313. 14) Juvat recentissima tempora comparare. Ante paucos annos (1837) octo legiones Aegyptum praesidio tenebant, quae numerum 26400 efficiunt (cf. Histoire de l'Egypte sous le gouvernement de Mohammed-Ali sur l'Arabie par M. Jomard. Paris 1839. p. 137 sqq.). 15) Strabo p. 797. 16) Nostris temporibus nuper in Aegypto 4300 equites. cf. Jomard. l. c. p. 139 sqq.

cundi nostrae computationis saeculi equites Mauri erant, ut conspici potest ex inscriptione aliqua, quae Aurelium quendam Heracliden nominat decurionem alae primae Maurorum [17]).

3. Hunc militum recensum secundum Strabonem dedimus, qui nonnisi Augusti tempora respexit. Jam vero sub Tiberio Tacitus, ubi totius imperii Romani legiones enumerat, duas tantum Aegypto adscribit [1]). Qui quum recensus in nonum Tiberii imperatoris annum cadat, usque ad hunc annum apparet unam legionem ut superfluam ex Aegypto remissam esse debere. Duae legiones etiam sub Nerone imperatore Aegyptum praesidio tenebant, ut ex Josepho verisimile [2]), atque idem numerus sub Vespasiano remansit [3]). — Quae autem legiones diversis temporibus stativa sua in Aegypto habuerint, aliquot inscriptiones in Aegypto repertae indicant; si quidem accipere liceat, quod minime dubitaverim, eos milites, qui has inscriptiones exarandas curaverint, ad legiones pertinuisse in Aegypto collocatas. Illud enim nisi ita fuisset, aliter non intelligo, quomodo evenerit, ut duae neque unquam plures in illis inscriptionibus commemorentur legiones, ad quas tres saepe vel quatuor viri militares pertineant in una eademque inscriptione nominati. — Augusti principatu quae ibi fuerint legiones nescimus, nisi quod Cassius Dio in recensu legionum tertio loco *τὸ ἐν Ἀραβίᾳ (στρατόπεδον) τὸ Κυρηναϊκόν* affert [4]). Arabia autem ad Aegyptum pertinebat, vel potius orientalis Aegypti pars Arabia nuncupabatur. Atque hanc ipsam tertiam legionem Cyrenaicam etiam sub Tiberio in superiore Aegypto remansisse ex inscriptione aliqua Nubiensi evincitur anno 34 p. Chr. facta [5]). Nerone principe inscriptio Latina, quae in Memnonis statua legitur, anno Christi 64 insculpta, XII legionem nominat [6]) cognomine Fulminatae [7]) insignitam — quod nomen jam Augusti aetate habebat, quum Cassius Dio eam inter Augusti legiones recensens *κεραυνοφόρον* vocet [8]). In eodem titulo Caj. Valer. Priscus se centurionem profitetur legionis XXII. Haec vicesima secunda etiam sub Vespasiano in Aegypto collocata erat, sed in duodecimae locum iterum tertia successerat. Utramque Titus ad Judaeam perdomandam ab Alexandria arcessivit [9]). Re peracta prior illa in Aegyptum rediit; nominatur enim et sub Domitiano, anno Christi 84 [10]), et saepius in inscriptionibus quae anno carent [11]). Trajano principe secunda legio Aegyptia erat, quam imperator de suo nomine Trajanam nuncupabat [12]). Commemoratur in inscriptione Nubiensi anno Christi 109 insculpta [13]). Eadem ibi remanserat sub Antonino Pio (anno 147) [14]) et

---

17) Apud Letronn. Rech. p. 361. cf. p. 363. 365. et Notit. Imp. Romani p. 212.

1) Annal. 4, 5 cum nota Lipsii. 2) bell. Jud. 2, 16, 4. cf. nos supra p. 67, 2. 3) Tacit. Hist. 2, 6. 4) 55, 23. 5) Vid. Gau. Antiquité de la Nubie pl. XIV. 31. Fortasse in hoc tempus cadit etiam Latinus Memnonis titulus, qui imperatoris nomen silet, sed eandem legionem nominat, apud Letronne La Statue etc. p. 128. 6) Apud Letronn. Rech. p. 355. cf. p. 473. et La Statue etc. p. 119 sqq. 7) Non fulminatrix appellabatur quod vulgo putant. Vid. Letronnium La Statue p. 120. 8) 55, 23. 9) Tacit. hist. 5, 1. 10) Letronne La Statue p. 132. 11) idem p. 236—238. 12) Cass. Dio 55, 24. cf. Zoëga Num. Aeg. p. 334 Not. 12. 13) Vid. Analyse critique du recueil d'inscriptions Grecques et Latines de M. Le Comte de Vidua par Letronne. Paris 1828. p. 8. 14) Inscript. apud Letronn. La Statue p. 246.

Aurelio Commodo (anno 189)[15]. Appellatur autem in titulis Trajana Fortis (Τραϊανὴ ἰσχυρά), fortasse ut ab tricesima, quae eodem cognomine ornata erat[16]), discerneretur.

4. Ceterum milites quum non semper essent bellis pugnisque occupati, ne otio abuterentur, vel languescerent, ad opera publica perficienda adigebantur. Cujus rei nulla profecto provincia majorem praebebat occasionem, quam Aegyptus. Quo enim majora vectigalia redirent, nihil magis opportebat, quam Nili fossas oblimatas purgari, novas effodi, fluminum ora aperta servari, paludes siccari, aggeres exstrui, pontes jungi. Quae ad perpetranda jam Augustus, quum in Aegypto esset, militari opera usus erat[1]). Et posteriore tempore Probus imperator adeo templa, porticus, basilicas exstruxit militibus operis usus[2]).

Milites expensis provinciae sustentabantur, et praefectus pendebat iis stipendia e fisco[3]). Τοὺς autem ἐπὶ ταῖς χρείαις in edicto Capitonis nominatos[4]) singulares quosdam nomorum magistratus fuisse, quibus cura rerum ad victum pertinentium et maxime erogatio annonae militaris mandata esset, quod Rudorffio placet, audacius ex uno illo loco colligitur. Nam nulla causa est, cur haec non reliqui rebus administrandis in nomo praepositi et in universum πραγματικοί dicti una curaverint.

Si milites, id quod in Aegypto haud raro accidisse videtur, ex una provinciae regione in aliam proficiscebantur, tum praefectus diplomata iis mittebat quae ipsi a Caesare concessa aliis commodare poterat[5]). Haec diplomata secum portantes, ab incolis flagitare ex jure poterant, ut ipsos tectis suis exciperent resque ad vitam necessarias, ut aquam et ignem, communicarent, et alia pauca, quae a Macrino, praefecto quodam, constituta erant, fortasse, ut Rudorffius opinatur, vehicula jumentaque praestarent[6]). Sed quod Claudio imperatore identidem factum erat, ut milites, maxime duces vel singuli qui praemittebantur, sine diplomatibus omnia ipsis necessaria in itineribus exigerent angiarentque, et ii qui publicis negotiis praeerant illa contra jus fasque praeberent, atque sub angariorum praetextu a provincialibus recuperarent, Capito contra hanc licentiam in edicto suo monet gravesque poenas sancit[7]).

Caput VII.

DE OPIBUS.

1. *A) De agricultura.* Aegypti natura ita comparata est, ut maxime idonea et quasi nata videatur ad agriculturam exercendam, de qua omnes incolarum vel fortunae vel miseriae pendent. Quod quum Romani intelligerent, atque ab hac

15) idem p. 250. 16) Cass. Dio l. c.

1) Suet. August. 18. Aurel. Vict. Epit. 1. Dio 51, 18. cf. Letronne Rech. p. 366. Zoëga N. Aeg. p. 6. Not. 10. 2) Vopisc. in Probo. 9. 3) Rudorff. Mus. Rh. II, 2 p. 142. 4) lin. 19. 5) Rudorff. Ed. Capit. p. 13. 6) Ed. Capit. lin. 25 sqq. Rudorff. l. c. 7) lin. 27 sqq. Accidebat, ut adeo duces stipendia subducerent et ad rapinas faciendas milites excitarent. Philo adv. Flacc. p. 966.

una provincia flagitarent, ut sola per quatuor menses imperii caput Romam frumento susteutaret, prae aliis agriculturam ejus terrae ita eximiis curis fovebant, ut statum agriculturae in universum florentissimum et qualis antea nunquam fuerat, per ea tempora, de quibus nobis agendum est, designare liceat [1]). Luculentissimum hujus rei documentum in eo invenis, quod Augusto principe jam XII cubiti justam inundationem efficiebant [2]), quum antea vix XVI sufficerent. Quam autem curam Augustum ejusque imperatoris praefectos ad fertilitatem terrae augendam adhibuisse supra descripsimus [3]), ea relaxata quidem postea est, neque tamen unquam dimissa. Nam Busiritani decreto quodam publico Neronis laudes celebrant, quod Balbillum ipsis praefectum misisset. Ejus enim gratia ac beneficiis Aegyptum omnibus bonis abundare, quum Nili dona in annum augeri conspiceret, et justa ejus inundatione tunc magis, quam unquam antea, frueretur [4]). Nec sub sequentibus imperatoribus hanc abundantiam, paucis Trajani annis exceptis (vid. Plin. Panegyr. c. 30 sqq.), defuisse, numi docent. Quicunque enim annus eximiam messim tulerat, eum in numis diversis signis indicare solebant. Modo vel Ubertatis caput conspicitur spicis coronatum, etiam ad pectus spicae sunt [5]); vel ipsa Ubertas tota fingitur ut mulier decumbens, una manu cornu copiae tenens, altera spicas cum papaveribus, circumscripto nomine Εὐθηνίας [6]). Modo fasciculа repraesentant vel quatuor spicarum vel sex vel septem [7]). Modo Nilus ipse fingitur vel cornu copiae tenens, cui puerulus insidet [8]); vel circumludunt eum plures pueruli numero suo justum cubitorum numerum indicantes [9]). — Ubi nec Nilus satis ubere intumescebat ad agros irrigandos, nec fossae aggeresque sufficiebant, machinis utebantur, quae ob figuram cochleae dictae aquam e flumine haurientes in arida loca infundebant, quas fusius tamen describere huc non pertinet [10]). — Itaque Aegyptus tantam per haec tempora proferebat frumenti copiam, ut non modo ingentem suorum incolarum multitudinem et Romam annona aleret [11]), verum etiam inter merces eam aliis nationibus venderet [12]). — Quae maxime colebat frumenti genera, inter ea triticum vocatur [13]), hordeum [14]), olyra, ex qua far et panis parabatur [15]), et si quid ab hac differebat, zea [16]).

---

1) Letronne Rech. p. 396. 2) Vid. supra p. 10. 3) p. 58 et 70. 4) Apud Letronnium Rech. p. 392. lin. 6—11. supra p. 12. 5) Ut sub Augusto anni 9 et 10 post Chr. Zoëga N. Aeg. p. 6. Nro. 17. 18. cf. p. 10. Nro. 5. Tab. I. Sub Tito annus Christi 78. Zoëga p. 47. Nro. 5. annus 80. Zoëga p. 48. Nro. 14. cf. Nro. 28. 6) Sub Antonino annus 144 p. Chr. Zoëga p. 186. Nro. 202. 203. cf. Tab. X. 7) Quo nihil crebrius sub Claudio: Annus 41. Zoëga p. 16. Nro. 10—12. Annus 44. p. 17. Nro. 22. Annus 59. p. 18. Nro. 32. etc. Sub Nerone: annus 66. Zoëga p. 27. Nro. 63. 8) Sub Trajano: Annus 96: Zoëga p. 60. cf. Tab. IV. V. et p. 63. Nro. 13. Annus 110: Zoëga p. 76. Nro. 110. Sub Hadriano: Annus 149. Zoëga p. 198. Nro. 314. Tab. XII. 9) Sub Antonino: Annus 154. Zoëga p. 203. Nro. 367. Tab. XII. cf. Plin. n. h. 36, 7, 11. Sub Marco: Annus 165. Zoëga p. 219. Nro. 81. cum nota Eckhelii ibi citata. vid. etiam Mülleri Comp. Arch. p. 618, 3. 10) Strabo p. 819. 807. 147. cf. Diod. 1, 34. 5, 37. Philo de confus. linguar. p. 325 D. Vitruv. 10, 11. 11) Vide, num hunc sensum habeant in Trajani numo binae illae Cereres (p. 69. Nro. 6.), Aegyptum et sibi satisfacere et Italiae. cf. not. Zoëgae. 12) Joseph. Ant. Jud. 20, 5, 2. Periplus M. E. 4, 11. cf. Ameilhon Histoire du Commerce p. 220 sqq. 13) Pl. n. h. 18, 7, 12. 8, 19. cf. De Schmidt Opuscula p. 340 sqq. 14) idem 7, 10. 15) idem 7, 11. cf Herod. 2, 36. 16) Plin. n. h. 13, 8, 19. cf. Herodot. l. c. ibique Baehr.

2. *Vinum.* Vitium cultura in Aegypto nota quidem pristinis temporibus sed neglecta, postea sub Ptolemaeis magis exerceri coepta [1]), etiam majora incrementa accipiebat Romanorum aetate, qua vel in aliis terris vini feracibus vinum Aegyptium magni aestimabatur. Quum enim crescente luxuria et vinolentia major fieret vini sumptus, ubique tentabant, quid vini ipsa Aegyptus proferret. Hinc varia ejus genera commemorantur. Maxima vini copia ad lacum Mareotin gignebatur, ut adeo id diffundentes in longum tempus conservarent [2]). Vini ferax etiam nomus Arsinoita et ora maritima erat ad Antiphras patens, et Oasis Magna [3]). Atque haec quidem secundum Strabonem. Plinius contra inter optima vina Sebenniticum habet, quod tribus ibi uvarum generibus nascebatur, thasia, aethalo, peuce [4]), quarum prima dulcedine excellebat [5]). Neque tamen etiam Mareotico, quod et Alexandrinum dicebatur, sua dignitas deerat, quod Athenaeus maxime propter dulcedinem, album colorem [6]) et odorem laudat [7]). Praestantius tamen habet Tenioticum, a Tenia, ubi nascebatur ita nuncupatum, album vinum et odoratum, cui non cedebat, quod apud Coptum gignebatur vel invalidis et febri affectis innocens vinum. Omnium tamen vini generum quae magna copia Nili vallis proferebat colore gustuque diversa et in magno pretio habita, praestantissimum judicat apud Athyllam oppidum natum esse. Ex his omnibus autem apparet, per totam Aegyptum vites coli potuisse, sed Romanorum aetate maxime in Thebaide et Delta cultas esse [8]).

Zythum (ὁ vel τὸ ζύθος). Vino simillimus eoque in Aegypto vetustis temporibus vulgarior potus is erat, qui ex hordeo fiebat, singulari quodam et Aegyptiis proprio modo [9]). Suavi odore ne vino quidem cedebat [10]) et tantam vim habebat, ut bibentes inebriaret [11]). Quum tamen vino vilius esset, luxuriosum Alexandriae vulgus praeter pessimae notae vinum, Lybicum dictum, maxime hoc zythum amabat [12]).

Acetum Aegyptium admodum forte fuisse dicitur, in aliasque terras exportabatur. Et Graeci [13]) id magni faciebant et Romani [14]).

Inter arbores Aegypti frugiferas prae aliis nominamus palmam, quae in Delta quidem et apud Alexandriam pessima erat pomaque proferebat vix esculenta; in Thebaide tamen omnium optima nascebatur. Duplex earum ibi, ut in Judaea, genus erat, et communis illa et caryota. Durior quidem, ut Strabo ait, Thebaica palmula erat sed gustatu dulcior [15]). Itaque in magno pretio habebatur, et in alias terras dimittebatur. Ne tamen celeriter exspirarent, carptae extemplo in cadis

1) Herod. 2, 37 et 77. ibique Baehr. 2) Strabo p. 799. §. 14. 3) Idem p. 809. §. 35. p. 799 et 813. 4) n. h. 14, 7, 74. 5) idem 14, 18, 118. 6) cf. Virg. Georg. 2, 91: Sunt et Mareotides albae. et Horat. Carm. 1, 37, 14. 7) Athen. 1, 25. 8) cf. ad haec omnia Ameilhon Histoire du Commerce p. 241 sqq. Drumann Inschrift v. Rosette p. 164 sqq. Wilkinson Costums and Manners II. p. 158—169. 9) Hesych. sub voce. Plin. n. h. 22, 25, 82. 14, 22, 29. Strabo p. 824. cf. Herod. 2, 77. 10) Diod. 1, 34. 10, 2. 11) Athenaeus 1, 25. 12) Strabo p. 799. cf. Digest. lib. 33, 6, 9. Drumann l. c. Gallum Beckeri II, p. 163. Wilkinson l. c. p. 170—175. 13) Athen. 2. p. 67. C. 14) Juvenal. 13, 85. cum scholio et nota Heinrichii II. p. 464. Mart. Epigr. 13, 122. 15) Strabo p. 818.

condebantur [16]. — Nec olivae Aegypto deerant, quarum copiam nomus Arsinoita optimam atque uberrimam proferebat [17]. — Huic accedit cici (κίκι) arbor, quae in Aegypto frequens erat, ex qua oleum parabant lucernis utile [18]. — Alias arbores herbasque, quarum fructibus etiam apud externas nationes suus honor erat et quarum fertilissima Aegyptus, omnes commemorare supersedemus, quum sufficere putemus quae Wilkinsonius nuper in opere suo elegantissimo congessit [19]. De duabus tamen restat, ut dicamus, ex quibus praecipuum aliquem quaestum sibi parabant Aegyptii, de colocasia et papyro. Illa quidem, faba Aegyptiaca dicta, quae Indiae tantum praeter Aegyptum propria erat, et in paludibus lacubusque nascebatur [20], foliorum magnitudine copiaque et florum pulchritudine tam jucundum praebebat aspectum, ut commissantes in naviculis thalamiferis densissima talia fabeta subirent, quorum foliis obumbrarentur. Folia autem quia satis magna et concava erant, in poculorum et ciboriorum usum adhibebantur. Hinc impletae iis erant officinae Alexandrinorum, quibus vasorum loco erant [21]. — Ad Aegypti laudem apud externas gentes celebrandam multum contribuit papyrus, qui in depressioribus locis ac palustribus, Romanorum tempore maxime in Delta et in Sebennitico quidem ejus nomo, nascebatur [22]. Alius pejor erat; alius melior, atque is hieroticus appellabatur. Praeterquam quod edulis erat [23] et variae aliae res inde conficiebantur — adeo naviculas papyris exstruebant — ex libro ejus (βίβλῳ) charta parabatur. Quod quomodo factum sit, et apud Plinium [24] legis fusius expositum et recentiores multos [25]. Ceterum chartam parandi ars non jam Aegypto soli relicta erat, quamquam Saiticae semper suum pretium manebat; sed etiam Romae officinae chartariae erant, quibus praestantisima quidem chartae genera parabantur [26]. Inde sequitur, ejus papyri copiae quam Aegyptus proferret, aliquam partem in Aegypto ipsa confectam, aliam infectam ac rudem exportatam esse. Videtur autem ejus venditio certis quibusdam ut monopolium addicta fuisse; nam ut raritatem papyri efficerent et inde pretium augerent, non ubicunque fieri poterat, eum nasci patiebantur [27].

3. *Artes.* Praeter ea quae coeli terraeque felicitas suppeditabat, multo magis externarum gentium admirationem excitabant artis opera, quae Aegyptus illis temporibus per universum imperii orbem magna copia ac praestantia dimittebat. Quantopere enim artes floruerint Romanorum aetate, quanta fuerit industria, de eo satis vividam nobis imaginem praebet pretiosissima Hadriani imperatoris epistola, quae apud Vopiscum in Saturnino legitur [1]. Praecipua artium sedes erat Alexandria. At in ea urbe tanta gnavitas erat ac sedulitas, ut nemo

16) Plin. n. h. 13, 4. Gallum Beckeri II. p. 186. Salmas. exercit. ad Solin. II. p. 927. Wilkinson l. c. p. 176 sqq. 17) Strabo p. 809. De Schmidt Opuscula p. 329. 342 sqq. 18) Herod. 2, 94. Strabo p. 823. Plin. n. h. 15, 7. 19) Costums and Manners etc. II. p. 182 sqq. 20) Strabo p. 823. cf. p. 696. 21) Strabo p. 799. 800. 22) idem p. 800. Plin. n. h. 13, 11, 69. cf. Ameilhon. Histoire du commerce p. 234 sqq. 23) Aegyptii παπυροφάγοι Vopisc. in Firmo c. 3. 24) Plin. n. h. 13, 59 sqq. 25) cf. inter recentissimos Wilkinson l. c. p. 61 sqq. et p. 146—155. 26) Plin. l. c. 27) Strabo p. 800.

1) Cap. 8.

otiosus viveret, ac ne corporis quidem debilitas ab artificio impediret. *Podagrosi,* ait Hadrianus, *quod agant habent: habent caeci quid faciant: ne chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt.* Hanc igitur epistolam tanquam ducem sequentes jam de singulis artibus dicamus.

a. Alii linyphiones sunt. Texendi ars jam antiquitus in Aegypto invaluerat et ad aliquod perfectionis fastigium evecta erat, quod et sacerdotes anxia corporis cura tenti et mortui linteis involvendi magnam textorum consumtionem faciebant. Quae enim hominibus necessaria ac quaesita sunt, in iis conficiendis celerius proficere solent artes. Quum deinde commercium Ptolemaeis et maxime Romanis imperantibus augeretur, multo minus tunc quam prioribus temporibus sibi tantum texebat Aegyptus, sed maximam textorum copiam ad externas gentes divendebat. Sub Ptolemaeis adeo regia lanificia textrinaque fuerant (Orosius 6, 19). Discernimus autem Romanorum aetate diversa ex ea qua constabant materia texturarum genera. Primo loco lanea nominamus vestimenta, spreta ea quidem sacerdotibus, sed ab hominibus infimi maxime ordinis gestata [2]). Deinde lintea, intelligo ea, quae ex lino conficiebantur. Quae quanto in pretio fuerint quantaque copia sint parata, ex Plinio apparet, qui lino Aegyptio minimum firmitatis, plurimum tamen lucri adscribit. Maxime notum erat Taniticum ac Pelusiacum, Buticum, Tenthyriticum, *cum regionum nominibus in quibus nascebantur* [3]). — Praeterea byssina, quae ob candorem mollitiemque Aegypti sacerdotibus gratissima erant [4]). Byssus enim frequenter in Aegypto tunc colebatur, et maxime in superiore parte, quae Arabiam versus vergebat [5]). Lana autem haec arboraria, ut ab animalium lana discerneretur, a pluribus xylina vel ἐριόξυλος vocabatur, ab aliquibus gossipion [6]). Ceterum et byssinis vestimentis et e lino confectis commune nomen linteorum erat, unde non exigua de iis inquirenti difficultas apud veteres scriptores paratur. Adeo ad bombycinas vestes hoc nomen extendebatur [7]). — Serica autem bombycis fila rudia importata in Europae demum officinis texebantur [8]). Inde certum quoddam texturae genus prodibat, quo prae aliis urbibus Alexandria florebat.

Haec quidem Aegypti texta, quae omnia communi nomine ὀθόνια vocantur [9]), non tantum ex una quodque materia constabant, verum etiam ex binis Eo modo panni fiebant e lino, quod staminis, et e bysso, qui subteminis vicem sustinebat [10]). Etiam holoserica et subserica distinguuntur [11]), quorum haec haud dubie erant e serico et bysso contexta. — Fila ipsa artificiosissime nebantur et tanta tenuitate, ut, — quod Plinius narrat — Julius Lupus e praefectis unus plagas haberet, quarum stamina singula ex 150 filis constarent [12]).

2) cf. Ameilhon Histoire du commerce p. 265. Wilkinson Costums and Manners II. p. 114 et I. p. 280. 3) Plin. n. h. 19, 1, 14. Ameilhon l. c. p. 233. De Schmidt Opuscula p. 331. 4) idem 19, 1, 15. 5) Plin. l. c. cf. Inscript. Rosett. lin. 18. 6) Plin. ibidem. 7) Vid. Drumann Inschrift v. Rosette p. 169. 8) cf. Beckerum in. Corn. Gallo suo II. p. 87. 9) Ut rem probavit Drumann. l. c. p. 170. 10) Pollux On. 7, 17. 11) cf. Gallum Beckeri II. p. 87. 12) Plin. n. h. 19, 1, 11 et 12. cf. Regis Amasis thoracem apud Rhodios Herod. 2, 182. 3, 47. Plin. ibid.

Praeterea *plurimis liciis texere ea quae polymita appellant, Alexandria instituerat* [13]. Atque ejusmodi telas coloribus figurisque ornabant [14], non tantum acu pingentes [15], verum etiam ornamenta pectine intexentes. Qua in arte sic excellebant, ut a textis Aegyptiis superarentur pulchritudine vela Babylonia quae acu picta erant [16]. Denique hoc loco non omittimus singularem illam rationem commemorare, qua Plinius scribit Aegyptios vestes suas tingendo pinxisse [17], quaeque cum nostra ratione pannis formas quasdam imprimendi, non eadem quidem est, tamen similitudinem habet. Atque hoc ita instituebant, ut candida vela postquam attriverant, non coloribus illinerent, sed medicamentis colorem resorbentibus. „Hoc quum fecere, pergit Plinius, non apparet in velis, sed in cortinam pigmenti ferventis mersa post momentum extrahuntur picta. Mirumque, quum sit unus in cortina color, ex illo alius atque alius fit in veste accipientis medicamenti qualitate mutatus. Nec ablui potest; ita cortina non dubie confusura colores, si pictos acciperet, digerit ex uno pingitque, quum coquit. Et adustae vestes firmiores fiunt, quam si non urerentur." — Videntur igitur vestes liquoribus causticis pictae esse, qui colorem deinde resorbebant, pictasque antea figuras repraesentabant.

Quae diversis his modis parata erant, vela, stragula [18], vestimenta omnis generis, ea omnia magnam laudem apud externas nationes et maxime Romae habebant. Hinc ingenti copia inter merces exportabantur [19]. Prae aliis antiquitus insignes erant arte lintearia Panopolitani [20]. Recentiorem laudem Arsinoe, Pelusium, Alexandria adipiscebantur [21].

b. Alii vitrum conflant. Jam antequam Romani Aegyptum imperio suo adjunxerant, vitri in Aegypto officinae erant; adeo multi Aegyptios hanc artem ita pristinis temporibus calluisse statuunt, ut vitri flandi originem apud eos quaerant [22]. Utut haec res se habet, imperantibus in Aegypto Romanis Alexandriam scimus propter vitrea opera per totum terrarum orbem celebratam fuisse [23]. Ubi autem opera parabantur sic artificiosa, ibi omnia genera vitri confecta esse nos consentaneum fit statuere. Nihilominus de vitri flandi arte qualis quantaque apud antiquos fuerit, toto ambitu hic scribere nolumus; commemoramus tantum ea, quae pauca apud ejus de qua nos agimus aetatis scriptores, de vitro Aegyptio narrantur. Atque Strabo quidem scribit se, quum Alexandriae esset, audisse a vitrariis, terram in Aegypto reperiri vitream, sine qua opera illa pretiosissima quae variis coloribus splenderent, parari nequirent. Alia enim vitra aliis mixturis indigere [24].

---

13) Plin. n. h. 8, 48, 196. 14) Herod. 3, 47. 15) Lucan. Phars. 10, 141. 16) Mart. Epigr. 14, 150. 17) Plin. n. h. 35, 11, 42. cf. Gallum Beckeri II. p. 97. Wilkinson l. c. II. p. 131 sqq. 18) cf. Mart. 2, 16. De Zoilo qui se aegrotum simulat, ut stragula amicis ostendat nuper ab Alexandria accepta cf. Gallum Beckeri I. p. 41. 19) Gallus Beck. l. c. cf. de lino Vopisc. in Carino 20. Treb. Pollio in Gallienis c. 6. 20) Strabo p. 813. 41. 21) Plin. 8, 48, 74. cf. Ameilhon hist. du comm. p. 256—264. 296. Drumann Inschr. v. Rosette p. 171. 22) cf. Gell Pompejana I. p. 88. Correcta hic illic eadem repetita apud Beckerum in Gallo I. p. 21. Wilkinson. Cost. etc. III. p. 88 sq., ubi p. 89 vitrarios habes flantes repraesentatos. Testae vitreae in Aegypto repertae cf. Ritter Erdkunde I. p. 834. 23) Müller Compend. Archaeol. p. 426 sqq. 24) Strabo XVI. p. 758.

Ex hoc loco primum apparet Alexandriae vitra variorum colorum esse comparata, deinde varios hos colores ita effectos esse, ut certam aliquam terram, quae una cocturam adjuvabat, pro attribuendis coloribus arenae vitreae admiscerent [25]. Deinde Hadrianus in epistola sua se calices notat Serviano et sorori suae mittere, quos dono accepisset, ἀλλάσσοντας, versicolores, (micantes, schillernde) [26]. Mutabant autem colores, puto, non fortasse quia e diversi coloris vitris constabant [27], sed quia colore erant pellucidiore et arte vel tornandi vel caelandi politi ornatique. Aliud enim vitrum, ait Plinius [28], flando figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo caelatur. Quod autem torno erat tritum, a caelato sic differebat, ut illud simplicius esset ornatum, quantum torno fieri poterat, hoc contra artificiosas formas figurasque insculptas haberet et longe pretiosius esset. Praeter laborem enim majorem etiam periculum erat, ne inter caelandum calix frangeretur [29]. Vasa autem caelata etiam diatreta vocabantur [30]. Ceterum ad utriusque generis calices et tornatos et caelatos pertinuisse arbitror verbum toreuma [31]. Haec vero Alexandriae toreumata, maxime crystalla, quae puro ac pellucido erant vitro — nam de vitro ubique fere cogitandum, ubi crystalla vel crystallina nominantur [32] — tam magni habebantur tantaque cura servabantur, ut festis tantum diebus in conviviis adhiberent caverentque, ne inter bibendum frangerentur [33].

c. Denique verbo attingimus opera figlina, quorum etiamnum aliqua copia exstat [34]. Ea arte prae aliis excellebat Naucratis, cujus cives maximam partem figuli erant. Callebant autem vasis colorem parare argento similem [35]. Deinde Copti fictilia parabantur ex argilla, cui in depsendo odores infuderant. Inde etiam fictilia ipsa jucundissime olebant et apud alias gentes magni aestimabantur [36].

Caput VIII.

DE COMMERCIO ET NUMIS.

1. Quamquam Aegyptus ad mercaturam cum aliis terris exercendam satis idonea sita est, tamen pristinis temporibus ejus incolae averso a peregrinis erant animo, ut omne cum iis commercium velut contagionem fugerent neque fructus uberrimos quos terra gignebat, neque opera artificiosissima quae manus parabant, sponte aliis afferrent, sed peregrinos, ut nanciscerentur si quid illorum sibi opus esset, ad ipsorum terram accedere cogerent [1]. Hoc externorum hominum odium paullo infractum est, quum externi principes et maxime, quum Graeci Aegypti impe-

---

25) cf. Ameilhon l. l. p. 265. Beckmann Geschichte der Erfind. 26) Vopisc. in Sat. c. 8. 27) Id quod in aliis factum est. cf. Müller l. c. 28) Plin. n. h. 36, 26, 66. 29) Mart. Epigr. 14, 115. 30) cf. Digest. lib. 9, 2, 27. 31) Aliter Salmas. ad Vopisci locum qui ad tornata tantum refert cf. Mart. 11, 11. Gallum Beckeri I. p. 146. 32) cf. Gallum Beckeri I. p. 145. 33) Mart. Epigr. 12, 74. 11, 11. Epistol. Hadriani: quos tu velim festis diebus conviviis adhibeas. 34) Vid. Wilkinson II. p. 341 sqq. 35) Athen. XI p. 480. 36) idem XI. p. 464. cf. ad haec Ameilhon p. 258 sqq.

1) cf. clarissimi viri Heerenii Ideen. II. p. 701 sqq.

rium tenerent. Tum demum Neptunus deus in Aegypto coli coeptus est, qui priscis Aegyptiis maris undas horrescentibus ignotus fuerat[2]). Omnis autem commercii Aegyptii flos originem duxit ab Alexandria condita. Atque in eo Alexander Magnus egregium admirabilis sui ingenii documentum dedit, quod hanc urbem tam idoneo loco condidit, ut totum fere commercium quod Orientem inter et Occidentem exercitaretur, celerrime sibi arriperet. Degenerata tamen Lagidarum stirpe optima incolarum pars exstincta et inde totius civitatis status miserrimus erat[3]). Quum autem Romani urbem in ditionem accepissent, mirum est, quam celeriter urbs ad pristinum florem sit reducta. Quia vero florentes hujus urbis res prorsus e commercio pendebant, jam ex his colligitur, Romanorum aetate commercium Alexandrinum magno incremento auctum esse. cf. Vincent Periplus II, 2.

Huc accedit, quod si quid odii in peregrinos antiquitus relictum erat, Aegyptii tum jam non videbantur cum peregrinis negotiari, quippe qui omnes essent uno eodemque imperio conjuncti. Omnis terrarum orbis mercaturae eorum patebat, quia omnis uni imperio parebat. Praeterea eae expeditiones, quas Aelius Gallus in Arabiam, Petronius in Aethiopiam susceperat, etsi earum altera non eum quem speraverant successum habebat, tamen illarum regionum notitiam hominibus mercantibus aperiebant, nautarum audaciam augebant[4]), mercaturae maxime Indicae vias muniebant et in Aegyptum deducebant[5]). Denique in ipsa Aegypto Romani Nili ostia aperta tenebant servabantque fossas satis profundas, quo celerius fieret commercium navibus. Ob haec omnia jam non potest mirum videri, quod Strabo habet, commercium Indicum et Troglodyticum sub Romanis sic amplificatum esse, ut antea vix viginti navigia angustias Sinus Arabici evehi sustinuissent, tunc contra totae classes vel versus centum et viginti naves usque ad Indiam et promontoria Aethiopiae navigarent, ut pretiosissimas inde merces in Aegyptum importarent et inde aliis Europae terris suppeditarent[6]). Series igitur tantum, quantum sub Ptolemaeis ultimis fuerat, commercium prima Romanorum aetate accrevit. — Quamquam autem eandem hanc amplitudinem, quam uno quasi impetu sub Augusto adeptum erat commercium, etiam sequentibus temporibus servatam esse non constat, potest tamen nonnisi paullo imminuta esse. Gliscente enim luxuria quotannis earum quas mercatura Aegyptia afferebat, mercium major Romae fiebat consumptio. Deinde nec certa testimonia desunt. Quantum nimirum fuerit nautici commercii studium, numi indicant Alexandrini, quorum unus Trajano principe cusus Geminos repraesentat nautarum adjutores[7]), (alii ejusdem generis etiam ex Hadriani[8]) et Antonini tempore supersunt)[9]), alius praeterea et idem Antonini aetatem ferens, navem habet explicatis velis per undas vehentem, gubernatore in puppi stante[10]); vividissima, opinor, florentis commercii imago.

2) Zoëga N. Aeg. p. 70. Nro. 77. 3) Strabo p. 797. 4) Paullo post, Claudii fere principatu, Hippalus iter in Indiam suscepit ejusque descriptionem literis mandavit. cf. Vincent Periplus of the Erythean Sea I. p. 44 sqq. 5) Strabo p. 118. 6) Strabo p. 798 comparata cum p. 118. 7) Zoëga p. 66. Nro. 55. 8) idem p. 138. Nro. 355. Tab. VII. 9) idem p. 164. Nro. 7. Tab. IX. p. 184. Nro. 176. Tab. XI. 10) idem p. 172. Nro. 88. Tab. X. cf. p. 133. Nro. 309 ex Hadriani numis.

2. De mercatura disserenti in rebus ita implicitis ac variantibus maxime duo spectanda sunt, primum ut vias commercii continuas et emporia exploret, deinde ut, si haec cognoverit et in iis tute ipse quasi incedere possit, de singulis mercibus earumque quantum fieri potest, pretio quaerat.

α) *Viae.* Consultius in Aegypto videtur esse, nos inde ab Alexandria, quam urbem mercaturae quasi sedem ac domicilium fuisse scimus, una cum negotiatoribus primum vias quaerere eas, quas sibi ad mare Indicum patefecerant. Circa solstitium, quo se Nilus jam in arva infundere incipiebat et proficiscentibus faciliorem navigationem et jucundiorem parabat, etesiis ventis a septentrione flantibus, qui contra descendentem Nilum naves propellebant et egregium in navigando auxilium ferebant, Alexandriae negotiatores magna frequentia properabant viae sese committere. Quum vero haec urbs duplices portus haberet et maritimos illos duos, et in lacu Mareotico unum [1], Juliopolin conveniebant, quam urbem Nicopolin Strabonis esse, ingeniose contendit Vincent [2], unde navigatio Coptum fieri incipiebat [3]. Qui enim in lacu naves solvebant, ii per fossam navigabant Canopum ducentem, ad quam Nicopolis et Eleusis sitae erant. E maritimo autem portu profecturis vel eadem via patebat, quum lacus Mareotis cum mari fossa esset junctus (Strabo p. 792.), vel primum Canopum et deinde in altera illa fossa Juliopolin pronavigandum erat. Prope Eleusin altera utrosque excipiebat fossa in eam quae Alexandriam cum Canopo jungebat, sese effundens, eosque Schediam ducebat, quod oppidum eo loco conditum erat, quo haec fossa in Canopicum Nili brachium incidebat [4]. Vectigalibus ibi solutis [5], iter continuabat maxima mercatorum pars, adverso flumine Memphim petens et, postquam Hermopolitana castra et Thebaica praetervecti erant, Coptum pronavigans, quae urbs non ad Nilum quidem sita, tamen fossa cum eo juncta erat [6]. Ab Alexandria inde usque ad hoc oppidum cursus ventis idoneis per XII dies fiebat [7]. Erat autem Coptus secundum Alexandriam maximum in Aegypto emporium, quippe quo undique mercaturae viae convenirent. Una in superiorem Nili vallem ducebat, quam poterant maximam partem navibus peragere, excepta apud Syenen et Philas regione, ubi cataractis scopulisque infestus nautis erat Nilus. At ibi in eorum gratiam exstructus erat murus in orientali ripa a Syene usque ad Philas continuus, ut a bestiarum latronumque incursionibus tuti merces suas in terra transportarent [8]. Longe maximum tamen commercium inde a Copto cum Mari Rubro et India exercebatur [9]. Ideo ab Arabibus qui mercaturae causa ibi commorabantur et Aegyptiis una haec urbs habitata erat [10]. Extensae etiamnum aedificiorum ruinae conspicuae, quae aedificia aliquando magna mercium receptacula fuisse ad Nilum sita verisimile est [11]. — Orientalis autem Aegypti pars montibus sic est scissa, ut inter montium juga valles formentur quas transversales dixeris, quibus aditus a Nilo ad Mare Rubrum

---

1) Strabo p. 792. 2) Periplus I. p. 76 sqq. 3) Plin. 6, 23. 4) Haec in Strabonis verbis latent, si p. 797 cum p. 800 comparas. cf. etiam Plin. n. h. 5, 10. 5) Vide supra p. 64. 6) Strabo p. 815. cf. p. 781. 7) Plin. n. h. 6, 23, 102. 8) Vid. Parthey de Philis Insula p. 10 sqq. p. 78. 9) τὸ Ἰνδικὸν καὶ Ἀράβιον ἐμπόριον. Ael. Arist. II. p. 361. Jebb. 10) Vid. supra p. 52, 7. 11) Ritter Erdkunde I. p. 758.

paratur. Per duas ejusmodi valles duplex a Copto via ducebat ad mare, una Berenicen, altera Muris Portum (Μυὸς Ὅρμον)[12]. Quae Berenicen ducebat a Copto inter brumalem ortum et meridiem vergens, eam primus Ptolemaeus Philadelphus cum exercitu aperuisse dicitur, et una ibi diversoria instituisse (caravanserais) iis commoda, qui vel pedibus vel per camelos proficiscebantur[13]. Erant autem xenodochea illa maximam partem in altis locis disposita, et propter puriorem et frigidiorem aerem et aquae causa, quam vel ex profundissimis puteis hauriebant, vel cisternis colligebant, si quando imbres cadebant in magna coeli siccitate[14]. Quum autem XII dies in itinere essent, diversoria illa numero duodecim, vel si Berenicen ipsam eximis, undecim fuisse probabile fit, quamquam Plinius decem tantummodo nominat[15]. At vide quae ex aliis scriptoribus substituit et in una tabula concinnavit Vincent[16]. — In una statione a Berenice proxima, quod Hydreuma vetus vel Troglodyticum nominabatur, praesidium erat duorum millium collocatum[17], quod haud dubie peregrinatores tutaretur contra incursus praedonum a pristinis temporibus usque ad hunc diem ibi degentium. Propter aestus autem — nam media aestate in itinere versabantur — noctu proficiscebantur, per dies contra quiescebant in stationibus, quae paribus spatiis inter se distabant, quantum poterant una nocte conficere. Duodecimo demum die Berenicen perveniebant[18].

Jacebat Berenice in ultimo recessu sinus alicujus, qui ob scopulos undis occultos et procellas saevius incumbentes immundus (ἀκάϑαρτος) dicebatur[19]. Quamquam haec urbs mercatoribus diversoria praebebat idonea, merciumque receptacula habebat, tamen sine portu erat, ut naves ibi exonerari, neque tamen usque ad sequentem navigationem reservari possent. Atque in hunc quidem finem inserviebat celeberrimus Muris Portus (Myos Hormos, medio aevo Cosseir), qui a Berenice 1800 stad. (45 mill.) distabat[20]. Ostium per quod portum intrabant, erat obliquum; ibi navium statio (ναυσταϑμός)[21]. Si igitur naves ex India erant reduces factae, tum ibi servabantur usque ad sequentem aestatem. Atque ideo Strabo a Myos Hormo ait neque a Berenice sua aetate 120 naves in Indiam proficisci solitas esse. — Patiebatur tamen tractus montium etiam in hunc portum quae a Copto duceret, viam muniri. Quia autem Myos Hormos a Copto propius erat situs, viam hanc, cujus etiamnum vestigia comparent[22], intra sex vel septem dies emetiri poterant[23]. Hanc quoque viam e Strabone apparet sua stativa habuisse, quae et aquam praeberent et contra solis aestus peregrinatores defenderent[24].

---

12) idem l. p. 577. 13) Strabo p. 815 de lectione cf. Groskurdt. in versione III. p. 391, 1. 14) Plin. n. h. 6, 23, 102 sqq. Strabo l. c. 15) n. h. l. c. 16) Periplus l. p. 82. 17) Plin. n. h. l. c. vide supra p. 68. 18) Plin. l. c. 19) Strabo p. 769 sqq. cf. Ameilhon p. 73 sqq. p. 162 sqq. 20) Peripl. maris Erythraei p. 12. 21) Strabo p. 815 cf. p. 769. 22) Ritter Erdkunde l. p. 760 sqq. 23) Strabo p. 815. 24) Mirum videri debet, quod Strabo Myos Hormon et Coptum suo tempore maxime floruisse et his potissimum locis mercatores usos esse scribit, Plinius contra ne mentionem quidem Myos Hormi, ejusque, quae eo ducebat, viae injecit, alterius contra viae et Berenices accuratiorem dedit descriptionem. Utrumque sic componere studuit Vincent, ut Straboni

Per has igitur, quas modo descripsimus, vias merces, quae in Indiam exportandae erant, Copti e navibus sumtae camelisque impositae, ad Mare Rubrum advehebantur. Quia tamen in his viis continua navigatione uti non poterant, quaerimus, quomodo naves Alexandrinae ipsae ad istud mare pervenerint. Nam si vellemus mercatores statuere duplicibus navibus usos esse, quarum unis ab Alexandria Coptum navigassent, alteris, isthmo pedibus trajecto, a Myos Hormo Indiam petivissent, tamen non omnes difficultates essent remotae. Tum enim aut naves jam exstructae vehiculis erant per isthmum transportandae — id quod sine summa molestia fieri non poterat — aut ad litus maris Rubri novae exstruendae. Sed premebat tum magna in utraque maris ora ligni penuria. Putaverim igitur naves ab Alexandria ipsa Myos Hormon per undas pernavigare potuisse et ejus navigationis facultatem fossa Ptolemaei praebitam esse. Haec quidem fossa, quae a brachio Nili Pelusiaco per Lacus Amaros ducta ad Arsinoen in mare incidebat, latitudinem 100 cubitorum habebat tantamque profunditatem, quanta ad navem onerariam sufficiebat sustentandam [25]). Idoneis locis juncta erat cataractis, quas aperiebant, si quis navigare volebat, post statim claudebant [26]). Si nimirum aestuum in sinu Arabico accessus erat, his undis propulsi ad Nilum navigabant, si recessus, Nili aqua ad mare deferebantur [27]). Nihilominus mirum est, quod et Strabo, qui has quidem regiones ipse non perlustravit, sed notitiam suam ex Artemidoro hausisse videtur, et Plinius [28]) historica magis de illius fossae origine et natura (cf. de his Ameilhon l. c. p. 20. 26. 42. 76), narrant, quam quomodo suis temporibus res se habuerit. Jam quum Cleopatra, clade ad Actium accepta, ad opes suas servandas naves exstruxerit et in Mare Rubrum *trahendas* curaverit [29]), quum praeterea Aelius Gallus, Aegypti praefectus, expeditionem in Arabiam suscepturus naves non Alexandriae vel in alia Aegypti urbe, sed Arsinoae, lignis Nilo in hunc locum delatis, aedificaverit [30]), multi obtendunt, tunc fossam jam inutilem redditam fuisse. Verumtamen illud Cleopatrae jam in dubium vocavit Huellmannus [31]). Propter Aelium Gallum autem quamquam fossam vetustate

---

tempore viam Myos Hormon ducentem, prae altera frequentatam esse dissereret, Plinii contra aetate eam, quae Berenicen tenderet. Ejus tamen commutationis probabilem equidem causam nec invenio nec divino. Quum potius constet, Strabonem de Berenicae situ, quem fortasse casu recte constituit p. 133, alias p. 769. 815 prorsus falsam sibi opinionem informasse, ex hoc ejus errore falsi quid etiam in totam descriptionem influxisse existimo. Etenim ut propius Berenicen admoveret ad Myos Hormon, cujus verum situm cognoverat, eum commotum esse arbitror, quod viae Berenicen ducentis, quae vix dubitare licet, quin etiam Augusto imperante frequentata sit, accurata notitia erat destitutus. Hinc quae de hac dicenda erant, omnia transtulit ad unam alteram. Quamquam igitur Myos Hormon via cum Copto conjunctum fuisse, non nego, etiam aliquam mercium partem in istum portum delatam esse, concedo, tamen longe maximam partem contenderim etiam Augusti aetate Berenicae depositam et per camelos inde Coptum transportatam esse, quum periculosum videretur, merces longius dubiis sinus Arabici undis credi (cf. Strabo p. 815: *ἐφάνη δὲ τῇ πείρᾳ πολὺ τὸ χρήσιμον*).

25) Strabo p. 804. 26) Diod. 1, 33. 27) Strabo l. c. 28) Plin. n. h. 29) Plutr. Anton. 17. 30) Strabo p. 780. 31) Handelsgeschichte der Griechen p. 224 sqq. Paullo aliter rem explicat Mannert Geogr. X, 1. p. 522 sqq.

oblimatam, et quum verno tempore, quo Nilus recedebat, Gallus hanc expeditionem susciperet, longis navibus non jam suffecisse concedimus, tamen eam prorsus non navigabilem illis temporibus fuisse, Strabo impedit, quominus credamus. Duobus enim locis ille asserit [30] sua aetate mercatores Aegyptios magno cum navium numero (στόλῳ) per Nilum et Sinum Arabicum usque ad Indiam navigasse. — Si autem e Nilo in Sinum Arabicum navibus perveniebant, tum nullam aliam viam nec Strabo denotasse nec illi iniisse possunt, nisi quae per Ptolemaei fossam patebat. Quod autem modo tetigimus, Nilo tantum insurgente fossam satis navigabilem fuisse, cum eo quadrat, quod mercatores Alexandrini circum idem tempus viae se dabant, ut Indiam peterent. Praeterea si hic canalis nulli prorsus usui fuisset, certe Trajanus, ut ipsi in Arabia bella gerenti facilius ex Aegypto commeatus pateret, versus finem primi saeculi non studuisset fossa nova a Babylone Heroopolin ducta, illam Ptolemaei fossam novis aquarum subsidiis augere [31], sed restauranda ei tota fossa fuisset. Quod quum opus multi laboris fuisset et expensi nec ita facile perpetrandum, certe a quibusdam scriptoribus esset summis laudibus elatum. Ob haec omnia Sinum Arabicum per Ptolemaei fossam etiam Romanorum aetate cum Nilo communicasse mihi non persuadere non possum. Quod nihilominus alteram illam viam frequentabant, et quod inde verisimile fit, naves vel omnino non vel leviter tantum oneratas ab Alexandria Myos Hormon et retro pervenire potuisse, ejus causa minus in ipsius canalis utilitate, quam in natura Maris Rubri posita est. Experientia enim docuerat, magis ex re esse, si merces a Berenice et Myos Hormo per camelos Coptum transportarentur, quam si in Sinu Arabico scopulis procellisque infestato usque ad Arsinoae portum proveherentur [32].

Quum igitur nautae Myos Hormon convenissent, aut ibi aut Berenicae naves onorabant mercibus quas exportarent, cursumque incipiebant. Etesiis ventis propulsi altera pars tricesimo fere die Ozelin vel Canen, duo Arabiae emporia, deferebantur. Ab Ozeli deinde navigatio ad primum Indiae emporium Muzirim intra quadraginta dies fiebat. Altera contra mercatorum pars magis oras Troglodyticas petebat. Mercibus autem aut commutatis aut venditis emptisque renavigabant initio mensis Aegyptii Tybi h. e. medio fere nostro Decembri, adjuti vento Volturno, et simulac Mare Rubrum ingressi sunt, Africo vel Austro [33]. Bereniese deinde merces Indicas et Troglodyticas camelis tradebant et Copti iterum navibus; viis denique descriptis Alexandriam redibant. Si autem singula haec temporis spatia, quibus totam viam per singula emporia emetiebantur, computas, mercatores aestimes mense fere Februario reversos et sex vel septem menses in itinere Indico commoratos esse.

---

30) p. 686. καὶ οἱ νῦν δὲ πλέοντες ἐξ Αἰγύπτου ἐμποριχοὶ τῷ Νείλῳ καὶ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ μέχρι τῆς Ἰνδικῆς; p. 118. καὶ τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐμπόρων στόλον ἤδη πλεόντων διὰ τοῦ Νείλου καὶ τοῦ Ἀραβίου κόλπου μέχρι τῆς Ἰνδικῆς. 31) Ptolem. 4, 5. cf. Mannert. Geog. X. I p. 524. 32) Strabo p. 815. 33) Plin. n. h. 6, 23, 104—107. de Schmidt Opuscula p. 171.

Ab Alexandria deinde per omnem imperii Romani orbem merces exportabantur. Ne tamen extra nostrae commentationis fines longius spatiemur, unum tantum emporium commemoramus, quod commercio cum Alexandria conjunctissimum et in Italia celeberrimum erat, Dicaearchiam vel nomine Latino Puteolos in Campania sitos [34]). Erat autem navium cursus Italiam inter et Aegyptum ita tutus ac celer redditus, ut a freto Siciliae sexto vel septimo, a Puteolis nono die lenissimo flatu Alexandriam pervenirent [35]).

3. *b*) *Merces.* Propter quas merces haec itinera omnia conficiebantur, earum licet tres classes constituere. Prima eas continet, quae importabantur et in Aegypto consumebantur, quarum egena erat Aegyptus; altera earum est, quae exportabantur; tertia denique classe eas comprehendimus, quae importatae iterum in alias terras evehebantur, quarum Aegyptus nil nisi transvectionem habebat. — De primae classis mercibus nihil certius constat, nisi quod earum multitudo longe inferior erat copia exportatarum. Tantam ipsa Aegyptus omnium fere rerum affluentiam habebat. Hoc quemque observare posse, ait Strabo, si quis et Puteolis naves ab Alexandria advenientes et Alexandriae naves ab Italia profectas conspiceret [1]). Secunda classe ea omnia contenta sunt, quae et naturae benignitas et hominum sollertia artesque in Aegypto ipsa egregia aliisque populis desiderata proferebant, de quibus supra diximus. Hoc loco hoc tantum addimus, illas res ab Alexandria non modo in imperii Romani terras, verum etiam in Aethiopiam, Arabiam, Indiam evectas esse [2]). — Tertia denique classis Arabicas, Troglodyticas, Indicas merces continet, quae omnium copiosissimae erant et pretiosissimae, quarum sumtus in Italia magis in annum crescebat. Hinc dignam rem judicavit Plinius [3]),de qua accuratiora referret, quippe quae ingentes imperii Romani opes quotannis consumeret. India enim versus H-S quingenties h. est 50,000,000 sestert. (nostri fere argenti 2,500,000 Thalr.) pro iis, quas remittebat, mercibus accipiebat. Quumque ejus modi merces in Italia centuplicato venderentur [4]), si quidem accipere licet, Plinium ex rei veritate esse loquutum, neque centum numerum nominasse, ut in universum ingentem pretii magnitudinem significaret, inde magna illa quam quotannis hae merces consumserunt, summa efficitur fere 250,000,000 Thalr. — Quia autem plurimae harum mercium ex portubus, quos Pharus insula cum continenti formabat [5]), exportabantur, inde Phariae dicebantur [6]). — Jam singularum mercium Indicarum et Troglodyticarum, quae illo tempore per Aegyptum ad alias nationes veniebant, satis completam seriem componere licet ex iis, quae in Periplo Maris Erythraei, apud Plinium aliosque, et in VII. paragrapho leg. XVI Digest. de Publicanis et Vectigalibus leguntur. Quoniam tamen hanc legem admodum docte jam commentatus est Franco-Gallus quidam [7]), et prae-

---

34) Strabo p. 793. cf. p. 245. et Huellmann Geschichte des Griechisch. Handels p. 120. 262. 35) Plin. n. h. lib. 19. prooem. cf. Philo adv. Falcc. p. 968. 969.

1) Strabo p. 792. 2) cf. Periplum M. Eryth. multis locis. 3) n. h. 6, 23, 101. 4) Plin. n. h. l. c. 5) Strabo p. 791. 6) Juvenal. Satir. 13, 85. 7) De l'impôt du Vingtième sur les Successions et de l'impôt sur les Marchandises chez les Romains. A Paris 1772. p. 399 sqq.

terea Vincentius in opere suo praestantissimo ex lege illa et Periplo una exactam mercium enumerationem dedit [8]), hujus commentationis modum excederemus, si omnia hic repetere vellemus.

4. c) *Numi.* Ut commercium facilius expediretur, numis opus erat, quorum Aegyptus quidem sub imperatoribus Romanis ingentem quandam multitudinem ac varietatem protulit. Quemadmodum in plurimis aliis sic etiam in re monetaria Romani sese ad Ptolemaeos in eo accommodabant, ut literis Graecis eas inscriberent [1]). Repraesentant autem in una porte semper effigiem vel imperatoris ejus sub quo cusi sunt, vel unius ex iis qui ad domum imperatoriam pertinebant, in altera contra varia symbola repraesentant, quibus saepe illo anno singulariter facta memoriae traduntur. Varias numorum epochas designavit Zoëga [2]). Prima inde ab Augusto „languido progreditur passu." Incipiunt autem imperii Augusti annos referre, non a pugna Actiaca sed ab eo die, quo Aegyptus in provinciae formam redacta est [3]). Priorum annorum parciores sunt nec integra serie, versus finem deinde Augusti crebriores fiunt. Tiberii imperatoris numi pauci comparent, Calligulae effigies huc usque in nullo conspecta est, ut sub his imperatoribus jus monetae Aegyptiis aut prorsus adempta aut parce concessa esse videatur. Attamen inde a Claudio usque ad Trajanum altera incipit epocha, ex qua elegantior ac ditior numorum series exsistit. A Trajano ad Commodum numi admirabili quadam varietate atque eruditione gaudent; tum tamen paullo languescere res monetaria incipiebat, donec „sub Severo fere exstincta, maxime Alexandro imperante resurgebat."

Aurei numi in Aegypto Romanorum aetate cusi huc usque nulli inventi sunt [4]), quamquam inde concludere non licet Aegyptios ejus metalli numos vel omnino non excudisse vel excudendi jus non habuisse [5]). Certe non constat imperatores aureos numos percutiendi potestatem sibi tantum vindicasse. Argentei contra puri inveniuntur quidem, sed rariores sunt. Majore copia servati sunt quibus cupri aliquid immixtum est, quique a viris earum rerum eruditis potinei (potin) vocantur. Extsant autem ejusdem commatis numi et argentei et potinei; num monetariorum fraude an permittentibus vel jubentibus imperatoribus, incertum est [6]). Cudebant nimirum vilioris pretii pecuniam mixtura depravatam, quam cum puriori gentium Indicarum pecunia non sine magno ipsorum emolumento commutabant [7]). Longe maximus tamen numerus numorum aeneorum erat.

Quum plurimi numi Alexandriae nomen expressum habeant, aliquantam partem in hac urbe percussam esse apparet. Ceterum nullus in Aegypto nomus est, quin nomen ejus in numis conspiciatur. Inde certo concludi potest, cui-

---

8) Periplus of the Erythrean Sea P. II. Appendix p. 1—84.

1) Tôchon d'Annecy p. 4. 2) Numi Aegypt. p. 14 Not. 1. 3) Zoëga l. c. p. 5 Not. 7. 4) Tôchon d'Annecy p. 6. 5) cf. Peripl. M. Erythr. (apud Hudsonium Vol. I p. 28). 6) cf. Zoëga p. 13. Not. 2. 7) idem p. 31. Not. 6. cf. Peripl. l. c.

que nomo monetae jus comparuisse [8]. Num vero etiam suam quisque nomus in metropoli monetam habuerit, an omne argentum quodcunque nomen fert, Alexandriae sit signatum, in incerto relinquitur.

8) cf. Tôchon d'Annecy, qui de singulis nomis quaesivit in libro suo: Recherches historiques et géographiques sur les Médailles des Nomes de l'Egypte. à Paris 1822. 4.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 4 lin. 29 pro „quodque" lege „utrumque."
— 9 Ad ea, quae ibi de Cornelio Gallo dixi, confer C. Voelker: De Cornelii Galli vita et scriptis Bonnae 1840. p. 36 sqq., qui fusius quidem, plurima tamen recte exposuit.
— 24 lin. 11 pro „Augusto" lege „Augusti."
— 30 lin 14 pro „shoenos" lege „schoenos."
— 41 lin. 12 pro „administationis" lege „administrationis."
— 45 lin. 23 pro „cummercium" lege „commercium."
— 49 lin. 5 pro „clecti" lege „electi."
— 80 lin. 9 pro „maris Rubri" lege „Maris Rubri."